



A.

fol. 113-23. 25. 27-31. 34-35. 37-38.
40-42. 44-50. 52-53. 55-57. 59.

18

DISSERTATIO PHILOLOGICA
DE
ANTIQUITATIBVS
OECONOMIAE
PATRIARCHALIS,

QVAM
PRAESIDE
CHRIST. BENED. MICHAELIS,
PHIL. PROF. PVBL. ORD.

ANNO c1515CCXXVIII. D. III. NOVEMBR.

PLACIDAE DISQUISITIONI SVBICIET
IOANN. DANIEL TAPKEN,
REGIOMONTE BORVSSVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
Litteris CHRISTIANI HENCKELII, Acad, Typogr.

Antiquitates pertinent ad Philologiam,
utpote quae in se Pleistore in Brit. S.
p. l. non iniquas solent esse,
et ad etiam alia admi-
nula ad xg. sdr. facientia
Suevici Theol. Soci.
Patriarchalis, q. s. patriarchis aeg.
coll. 2XX. qui Hebr. מַטְרֹן
patriarchis vel aeghertes
patriarchis, vel aeghertes patriarchis

8

an M



ANNO 1770
DIE 15
ANTIGVITATIBVS
OECONOMIAE
PATRIARCHALIS
BRASIDIE
CHRIST. BENED. MICHAELIS
IOANN. DANIEL TAKENI

Handwritten notes in a cursive script, likely a library or archival stamp, partially obscured by the printed text.

HAARE, M. G. D. T. G. A. R.
L. H. B. G. H. N. H. E. S. S. E. L. L. A. C. A. D. P. R. O. F. E. S. S. O. R.
IN P. R. O. F. E. S. S. O. R. I. A. T. I. O. N. E. M. A. T. H. E. M. A. T. I. C. A. E.



VIR O
SVMMEREVERENDO ATQVE DOCTISSIMO,
DOMINO
ABRAHAMO
WOLFIO,

S. THEOL. DOCTORI AC PROFESSORI IN
ACADEMIA ALBERTINA CELEBER-
RIMO,

CONSISTORII REGII SAMBIENSIS ADSES-
SORI CONSILIARIO GRAVISSIMO,

PALAEOPOLITANAE IN REGIOMONTE EC-
CLESIAE PASTORI FIDELISSIMO,

SCHOLAEQVE IBIDEM EPHORO DIGNIS-
SIMO,

PATRONO ATQVE ADFINI SVO
MAXIME COLENDO,

HANC DISSERTATIONEM DE ANTIQVITATIBVS
OECONOMIAE PATRIARCHALIS,
IN PERPETVI CVLTVS ET OBSEQVII TESTIFI-
CATIONEM,

SACRAM ESSE IVRET

RESPONDENS.

VIR SVMME REVERENDE
ATQVE DOCTISSIME,

CVM Te ob eximiam doctrinam
Theologicam, qua polles, æque ac
propter pietatem & vitam, Viro Theolo-
go dignam, semper suspexerim, & inter
reliqua patriæ Academiae lumina deuote
coluerim; tum vero magna me felicitate
adfectum sensi, postquam in adfinibus
Tuis connumerari, mihi singulari Dei be-
neficio contigit: vtpote a quo tempore Te,
Vir Summe Reuerende, non aliter, quam
vt ducem vitæ studiorumque meorum,
diuinitus mihi datum, obseruauim, ac pia
mente veneratus sum. Tu enim es, cuius
prouidam & paternam prorsus curam, ab-
sens quoque, & studiorum causa in hac al-

ma

ma Fridericiana degens, abunde expertus
sum, testibus ipsis Summe Reuerendis
Theologis huius Academiae, quibus me
formandum solícite tradidisti, litterisque
crebrius missis commendauisti. Illius igitur
fauoris Tui, quo salutis & commodis
meis paterne inuigilauisti, cum hucusque
magnum iam perceperim, maioremque
per Dei gratiam in posterum percepturus
sim fructum; dici non potest, quantopere
Tibi ad gratum animum declarandum,
praestandumque debitum obsequium, ob-
strictus sim: ut, si qua ratione meum erga
Te cultum testificari valerem, in parte fe-
licitatis meae non minima id positurus es-
sem. Interim si non, ut volo, saltem ut
possim, obseruantiam erga Te meam de-
clarare constitui. Inde est, quod Disserta-
tionem hanc, quam respondendo ex ca-
thedra defensus sum, Tuo potissimum
nomini inscripserim: cum ut Tibi, beni-
gnam mei curam gerenti, rationem red-
derem

derem studiorum meorum, quæ me occupatum adhuc tenuere; tum, vt publice profiterer, quantum Tibi debeam. Argumentum Dissertationis tale est, spero, vt Tibi haud displiciturum sit, qui sacra studia, & ea imprimis, quæ diuinas litteras illustrant, apprime colis, ac in deliciis habes. Age igitur, Vir Summe Reuerende, & hoc meum institutum æqui bonique consule, vtpote ex animo Tibi addictissimo profectum. Quod vero superest, Tuo fauori ac patrocinio me vltcrius etiam atque etiam commendo,

SVMME REVERENDI NOMINIS TVI

DEVOTVS CVLTOR

IOANN. DANIEL TAPKEN.



Q. D. B. V.

§. I.



Viuimus in sæculo Oeco-

nomico, quo non priuati solum ho-
mines, sed Reges quoque ac Prin-
cipes in hanc curam sollicitè incumbunt, vt rem domesticam meliorem ac fructuosiorefficiant: adeo quidem, vt Potentissimus BORVS-

Oeconomi- cum præsen- tis sæculi stu- dium anfa- tractationis de œcono- mia patriar- charum.

SIAE REX, Dominus noster indulgentissimus, præterquam, quod in Regia sua pariter ac in Prouinciis illustria instituit Collegia, quæ curam ararii & œconomiae principis gerant, insuper hanc ipsam Academiam suam, in qua nos viuimus, noua prorsus & adhuc inuitata Professione Oeconomica clementissime auctam superiori anno exornauerit. Qua de re existant publice emissâ Programmata, tum Illustris Cancellarii nostri, IO. PET. de LVDEWIG, qui tunc ProRector, nomine totius Senatus Academici, Professionem hanc nouam ex iussione Regia publicauit & commendauit, tum Excellentissimi SIM. PET. GAS- SERI, qui, quo modo spartam hanc sibi clementissime demandatam ornare conftituerit, suis verbis ipse exposuit. Quid mirum igitur, si hoc sæculi nostri studium ansam sup-
pedi-

*Torte illuxari argumentum possit
ex Jos. Jac. Strickland's Gedächtnis
und Nutzen der Oeconomie. Göttingen
1750. 2. Heftel opusculum 8ri
Göttingen 1750. 2. Heftel opusculum 8ri
759. p. 1. Hermann Christian*

*Scherwin
Kaufmann vom Hofe der Fürstin von
Morgentländer, bey dieser Zeit
mit Melchior L. 1748. 4.*



peditavit nobis, cogitandi de prisca illa & antiquissima Patriarcharum, inde ab Adamo vsque ad Iacobum & filios eius, œconomia, quateus illius memoriam diuinissimus scriptor Moses in Genesi sua nobis conseruauit? Vtpote de quo argumento ita nunc agere constituimus, vt Patriarcharum primo *uiuendi genus & studia œconomica*; deinde *intentionem & animum* in curanda re familiari; tum *opes*; porro *coniugia*; item *liberos*; dehinc seruorum seruorumque *familiam, habitacula; victum* denique & *amicum*, consideremus. Nec tamen id propositum nobis est, vt rei familiaris augendæ regulas hominibus nostris præscribamus; ac multo minus, vt Principibus ad amplificandos redditus suos auctores & consiliatores simus: vtpote quod alienum foret ab iis studiis, quibus hucusque animum nostrum pauimus; ac adeo verendum esset nobis, ~~vt~~ videremur falcem in alienam mississe messem, & ea arrogauisse nobis, quorum nec scientiam habeamus, nec vsum. Immo vero non immemores sumus, aliam fere rationem œconomia: fuisse olim, aliam esse nunc; aliam item in Oriente, aliam vero in Occidente; aliam porro principalem, aliam esse priuatam œconomiam: neque tuto semper hanc cum illa comparari putamus, nisi *παράστασις ἐς ἄλλο γένος* committere velis. Igitur sicuti hanc curam illis relinquimus, ad quos illa proprie pertinet; ita potius ad illustrationem sacri textus Geneseos hoc, quidquid est commentationis, comparatum esse volumus. Gratum tamen omnino futurum nobis esset, si, qui nostris quoque temporibus rem familiarem colunt, dignarentur hoc Patriarchalis œconomia: speculum, quod ex antiquissima mundi ætate ipsis ostenditur, penitus intueri; & multo magis, si quibus in partibus ex eo profecisse, melioresque & prudentiores pro instituto suo facti esse viderentur: vt qui firmiter persuasum habemus, œconomos omnes, si eundem cum piis Patriarchis animum induerent, eodemque cum illis spiritu fidei & caritatis imbuerentur, *parem* quoque

*i. e. similem. Par enim o solum æqualem,
sed et similem nobis. Vnde et comparare.
Nos vitem hanc non præcise respectu quæ-
libetis, sed ratione qualitatibus intelligimus.*

*luant aliquando procurare Lutheri Comment. in Gen.
vtpote qui sine dubio de Patriarcharum œconomia ob-
seruationes pragmatice adtulit.*

quoque cum illis gratiæ mercedem, paremque in œconomia gerenda felicitatem a clementissimi Numinis bonitate esse reportaturos.

§. II. Quod igitur ad Patriarcharum *studia œconomica* attinet, *p*ii quidem ea tantum sectati sunt, quæ & Deo placent, & generis humani utilitatem vere promouent. Nec enim vsquam in Genesi leguntur aliqui ex iis fuisse siue comici, siue *histriones*, ac pantomimi, siue chartularum opifices, siue alii id genus homines, *in*utilia partim, partim *noxia* terræ pondera, quibus hic illic scæter ac premitur Christiana respublica. Nempe in animum haud dubie induxerunt hanc cogitationem, quam suo postmodum tempore sapientissimus Regum verbis expressam dedit Prou.

XIII, II. *הן מהבל ומעט וקבץ על יד ירכב* *Opes ex vanitate* prouenientes, *minuentur*, vel (si distinctionum Hebraicarum ratio habeatur) *opes*, si quæ acquirantur, aut acquisitam sine *ob vanitatem minuentur*; qui vero *colligit manu*, ac adeo vtilem, honestum ac Deo probatum laborem peragit, *multiplicabit opes*; quia hoc modo, si cetera paria sint, favorem ac benedictionem Dei certissime sibi spondere potest. Sed nec opificia, aliasque siue *manuarias* siue *liberales* artes, admodum coluisse videntur pii Patriarchæ. Hanc potius gloriam Caini soboles vindicauit sibi: utpote cuius propago *Tubal* fuit *pater* hominis tractantis *citharam & organum*, adeoque musicæ inuentor, Gen. IV, 21. *Tubalcainus* vero *rudens, fabricans omne ferrum & æs*, videlicet metallicarum rerum & ferrariæ artis auctor, ibid. v. 22. *Abrahami* item ex *Hagara & Keturæ* posterus, hoc est, *Ismaelita*, *Midianita* ac *Medanita* mercaturam exercuere, camelis suis merces, quas *Gileaditis* regio ferebat, in *Aegyptum* deferentes, Gen. XXXVIII, 25, 28. 36. Attamen *Noachus*, exstructa ad mandatum Dei arca, qua animantium omnium genera, cum alimentis necessariis, exciperet, & excepta conferuaret, cum *architecturam doctus* fuisse, tum *nauticæ rei* pri-

Patriarchæ non studuerunt vanis rebus, et ne opificiis quidem, aliisque artibus, siue manualibus, siue liberalibus, sed rustificationi.

Histriones sunt qui alias ludicris, ut inquit, stantibus. Gen. I. VII. c. 2. Quia Histriones verbo Latino vocantur, sed rustificationi.

quarum illæ corporis ac illiberales, siue vero et ingenia impellantur.

metaphorice pro auctore præcipuo: sicut Tertullianus vocal Philosophos Patres archas fixos eorum.

quos ad pios referre nisi continet.

qualis vocum structura quod Gen. XI. c. 40. Doctus belli artes.

mus mortalium initia dedisse videtur, ipso magistro Deo, Gen. VI, 15. seqq. Quod vero Patriarcharum studia potissimum occupavit, agricolatio fuit, & res omnis rurestris. Huc pertinet tum AGRORVM, HORTORVM ac VINEARVM CVLTURA, tum CVRA PECORIS: quas partes vel singulas excoluerunt singuli, vel plures vna & coniunctim tractauerunt.

Antiquissimum vite genus custodia & cultura paradisi.

§. III. Omnium antiquissimum vitæ genus fuit, PARADISI ab ipso Deo plantati EVSTODIA ET CVLTURA. Plantavit enim Dominus Deus hortum in Edene ab Oriente, & posuit ibi hominem, quem formauerat, Gen. II, 8. Quod quo sine fecerit Deus, disertius ibid. docetur a Mose v. 15. *Sumpsit Dominus Deus hominem, & posuit eum in horto Edenis ad colendum eum, & custodiendum.* Hanc igitur paradisi culturam, quam Deus primis parentibus ante eorum lapsum commisit, fuisse oportet longe iucundissimam. Nam licet primæ arbores tota, qua patet, terra a Conditoris voluntate & iussu omnes exstiterint; prout Moses nos docuit Gen. I, 11. 12. *Dixit Deus, germinet terra gramen, herbam ferentem semen, arbores fructiferas, que ferant fructum secundum species suas, in quibus semen suum sit;* & licet vniuersa, que initio super terram a Deo producta sunt, & in his arbores quoque omnes, ad usum hominis comparata fuerint, Gen. I, 29. *Dixit Deus: Ecce, dedi vobis omnem herbam ferentem semen, que est in superficie totius terre, & omnem arborem, in qua sit fructus arboris, ferentem semen; vobis erit in escam:* Tamen paradisi, singulariter & precipue hunc in finem, vt Protoplastorum commoditatibus inferuiret, a Deo ipso complantatus, omnem reliquam terram fertilitate & iucunditate procul dubio superavit; cum insuper in Edeniensi regione, quæ a deliciis & iucunditate nomen suum accepit, situs, & ab alluentibus fluminibus rigatus fuerit Gen. II, 10. seqq. In hoc igitur paradiso Deus hominem recens creatum posuit, *לעבדה ולשמרה ad colendum eum & custodiendum*, 15. hoc est,

Adde qd quod homo cum demum, cum peccauisset, ex paradiso in reliquam terram extrusus est, in transgressionis sue poenam. Vnde & cum tractus aliquis amoenissimus & fertilissimus, in regione generatim amœna ac feracissima, describenda est, comparatio eius insubiliar cum paradiso, coll. Gen. xliii, 10. ubi plinius Iordaniam ante Pentapoliarcham exordium dicit fuisse. Vnde hodiernum, Insula Italiae, Sic. vna, sic Mediolanensis Ducatus Italiae paradisius appellari solet.

est, vt hortum eum non arboribus demum instrueret, (quod iam ab ipso conditore Deo factum erat) sed potius, vt plantatum a Deo arboribusque suis confitum diligenter tueretur, eiusque statum conseruaret & custodiret, daß er ihn im Stande und baulichen Wesen erhalten möchte: quod fieri poterat, si (vt *ELERICVS* ad l. c. obseruat) primi parentes, eorumque posterii, benignam soli naturam cultu aliquo leuiore adiuuarent; & ne fructus a feris bestiisque aliis vorarentur, ne ipsis victus deesset, impedirent. Videmus igitur, ex sapientissima Dei voluntate & consilio homini ne quidem ante lapsum oriandum, sed (licet non in sudore vultus, vt nunc post lapsum) tamen operandum fuisse. Vnde liquet, eos qui nihil agunt, ordini Dei, quem non solum post, sed & iam ante lapsum instituit, repugnare: indeque maius simul robur accipit illud Apostoli 2 Theff III 10. 11. 12. 13. *Si quis non vult operari, nec manducet. Audimus enim, inter vos quosdam ambulare inordinate, nihil operantes, sed curiose agentes. Talibus autem precipimus, & hortamur per Dominum nostrum Iesum Christum, vt cum quiete operantes, suum ipsorum panem manducent.*

§. IV. Alia longe ac miserior colonorum fors est **POST LAPSUM**, vbi **AGRICOLATIO**, in pœnam transgressionis, & vt magis mutescant ac subigantur mortales, magnis cum tædiis, molestiis, laboribus, difficultatibus, coniuncta est. Dixit enim Deus Adamo Gen. III, 17. 18. 19. *Quoniam obtemperauisti voci vxoris tue, & comedisti de arbore illa, de qua preceperam tibi, dicens: Ne comedas de illa; maledicta sit terra propter te; cum dolore comedes de illa omnibus diebus vite tue: Spinamque & carduum germinabit tibi, & comedes herbam agri: In sudore vultus tui comedes panem, donec reuertaris ad terram: quoniam de illa sumtus es: siquidem pulvis tu es, & ad puluerem reuertaris.* Et ibid. v. 23. *Eiecit eum Dominus Deus ex horto Edenis, vt coleret terram, vnde sumtus erat.* Ac adeo duo inprimis momenta cernere licet

Post factam successum agricolatio, eaque non sine molestiis ac tædio.



cer in lapsi Adami poena: vnum, quod nunc non amplius paradisum, sed terram; alterum, quod terram non propitiam amplius, sed maledictam experturus esset. Ceterum placet nobis ob concinnitatem suam paraphrasis, quam in superiora illa verba B. MATTH. HILLERVS Hierophytici P. I. p. 462. dedit: „Non effunderetur, vt antea, mea benedictio in terram, non fecundabitur amplius, non augetur prouentus eius, tua culpa, experieris terram ingratam, nec amplius te frugibus sponte natis pascentem: cum dolore & multis vitæ acerbitatibus prouentus tuæ vesteris, donec vitæ cursum confeceris: Spinae & cardui in illa adsurgent tibi, quæ inculta suaque sponte (addimus nos: aut saltem non magno labore culta) fruges tibi fudisset, tu vero, ab arbore vitæ depulsus, deinceps ex herbis agrestibus cibum capies. Hinc igitur sudores, soles, & incommoda hominum in colendis agris: hinc soli sterilitas; hinc fruges sæpe tenuiores, quam vt colonorum expectationi respondeant: hinc spinarum, carduorum, loliorumque vber prouentus, & quod, dolente Virgilio Georg. v. 152.

i. e. segetes, vel agros cultos.

Iner nitentia cūta

Infelix lolium & steriles dominantur aëne,
 & quod, *Onidio* lib. V. *Trist. Eleg.* 12. *monente,*
Fertilis assiduosi non renouetur aratro,
Nil nisi cum spinis gramen habebit, ager.

Vt adeo post lapsum in colenda terra multo maiores sint sufferendi labores, quam ante; & qui molestiam hanc defugit, quadret in eum illud Prou. XXIV, 30. 31. *Iuxta agrum desidis transi,* & *iuxta vineam hominis dementis: & ecce! succreuerat ager totus carduis, & coniecta erat superficies eius urticis, & murus lapideus eius (vineæ) erat dirutus.* Recteque heic iterum MATTH. HILLERVS Hierophyt. P. II. p. 72. „Licet terra, inquit, obtingat tenera & pinguis, atque in situ nihil deside.

Nec est, quod dicas, maledictionem illam primam terre forte personale quid, sed ad solum Adamam, quando ille vitæ surg esset, respiciendam fuisse, non ad eius pertinuisse posteritas. Nam si vult habuit, que in poena prima locus, gressus non solum solum solum ol uaria, sed vniuersos illorum pastores, feris; ita est maledictio terra, 2) sicut pars eius dolore non modo ad eam, sed ad vniuersos quoque filios eius pertinet; ita cultio terra cum sudore vultus ad omnes Adami posteritas. 3) effectus vniuersalis, qui ex maledictione illa prima terram ubique locorum hodiernam premisit ad ipsum lapsit. 4) Adamus in loco illo postea poenitens, negotio caput Federale fuit.

deretur, tamen; si asidue & in sudore vultus non colitur, carduis & sentibus horrebit, & se inutilibus herbis sponte exhauriet. Aranda igitur est, fodienda, fulcanda, occanda, nouellanda, & conferenda. Nil sine magno Vita labore dedit mortalibus. Qui colit telurem suam, satiatur pane, Prou. XII, 11.

§. V. Quamuis autem hic fuerit peccati primorum parentum effectus, vt terra, nisi assiduo colatur labore, sit sterilis; Deus tamen, vt post lapsum, non obstante maledictione illa, qua terram ferierat, homines, ac pios inprimis, vberimo sepe prouentur beat; sic e contrario primam illam soli maledictionem, aucta hominum malitia, iterat nonnunquam atque pragrauat. Testis huiusrei est historia Caini, in quem ob caedem fratris commissam eadem sententia, qua contra Adamum iam lata fuerat, denuo vibratur Gen. IV, 12. Cum coles terram, non perget illa dare vim suam tibi.

Hæc enim verba procul dubio augmentum illius mali inuunt, quod terram inde a prima hominum transgressione iam premebat: quia, nisi hoc esset, pena hæc Caino singularis & propria non fuisset. Eandem rem confirmat historia diluuii; ante quod, cum hominum creuisset malitia, agrorum quoque videtur creuisse sterilitas, & aucta esse terræ maledictio, subtractis subinde (vt probabile est) fecundis pluuiis, commodaque ad arandum, ferendum, metendum, anni tempestate, ac turbata per anomalam cæli temperatione. Hoc enim colligimus, cum ex augurio illo pii Lamechi de Noacho filio suo Gen. V, 29. Hic consolabitur nos ab operibus nostris, & a dolore manuum nostrarum, a terra, cui maledixit Dominus; tum ex clementissimo Dei post diluuium decreto Gen. VIII, 21, 22. Non pergam maledicere amplius terræ propter hominem; quoniam signmentum cordis hominis malum est inde a pueritia ipsius: nec pergam amplius percutere omne viuum, quemadmodum feci. Adhuc omnibus

Maledictio terre ante & post diluuium aliquando aggrauata.

Ac adeo strans duplicem terre maledictionem, 1) communem, ex la, ppi Adams; 2) propriam, ex commissa fratris eode. harum vero conuenienter Targ. Hieron. Gen. 4. 16. trinasim occidit Cain Abellem fratrem suum, per qua producebat et fructus ad usum fructuum horti Edenis; d. ex quo peccat, et occidit fratrem suum, reuertit ad fructum horti Edenis, et carduus. Aliqui tamen hominum genus d a communi illa terre maledictione con solata e, quippe que post diluuium pariter mansit, et hodiensium durat. Ergo proutiam et particularem sep, re maledictionem, ante diluuium grauem, intelligi oportet.

Ergo ad diluuium vsque Deus terra maledixerat amplius; i.e. primam illam maledictionem, qua terram propter Adami peccatum ferierat, circa tempore diluuii auertat. Notabile hæc in rem est, quod illic amplius se. accent, non ad pergam, sed ad maledicere pertinet.

diebus terre sementis & messis, & frigus & aestus, & aestus & hiems, & dies & nox, non cessabunt. Quae verba manifestum inuoluunt respectum, ut ad antecessum diluuium, sic ad augurium quoque illud pii Lamechi; quia, nisi ita se res haberet, ut diximus, vanum id irritumque augurium fuisset. Nec enim generalis illa maledictio, quae propter primorum hominum peccatum terrae inflata, sed specialis, quae propter antediluuianos homines, eorumque cumulata scelera, immissa fuit, hoc decreto sublata est. Obserua igitur in antediluuiana historia tres, easque velut gradibus asurgentes, maledictionis periodos; primam propter Adami & Euae peccatum; alteram ob Habelm a Caino caesum; tertiam ob malitiam antediluuiani mundi. Et hac vltima periodo factum est probabiliter, sicut in Iudaea tempore Haggæi Prophetæ, ut sererent quidem malum, sed prouentium reportarent exiguum, Hagg. I. 6. ut celum cobiberetur a demittendo rore, & terra negaret prouentum suum v. 10. & ut Deus vocaret siccitatem super terram, & montes, & frumentum, & mustum, & oleum, & quidquid profert terram v. 11. ut veniret quis ad aceruum exculli frumenti, qui debuerat esse viginti modiorum, qui vero erat tantummodo decem, c. II, 15. ut Deus percuteret ipsos vredine, rubigine & grandine, nempe opera manuum ipsorum v. 17. Atque ita experti sunt, malum atque amarum esse, quod reliquisent DOMINVM Deum suum, & quod timor eius non fuisset apud ipsos Ier. II, 39. Et, ut phrasibus ex Ieremiano ævo & libro defumtis rem nostram porro exprimamus, Non dixerant apud animum suum: Age, reuerentiam DOMINVM Deum nostrum, qui dat imbrem, primum atque serotinum, tempore suo, & qui hebdomadas, seu stata tempora messis seruat nobis. Culpe igitur eorum auerterunt hæc ab illis, & peccata illorum prohibuerunt bonum ab ipsis, Ier. V, 23, 24, 25. Sed & post diluuium, quanquam maledictio non ita incubuerit terris, ut ante diluuium, tamen exempla haud defunt

T. Quod in illibenter admittimus, cum dignum d. iudicauerit Spiritus S. quod post eius memoria proderet, sanguinem diuinum, et cui eventus responderet, cum Deus post diluuium dixit: Non perquam maledicere amplius terræ.

Videtur in sententia a nobis profertur oblatore locus Mat. XXIV, 39. 37. Hoc est in his hinc est tuis ego te ea. τακλυβιας τρωσωντες ηαι πιθωτες, ηερσωντες ηαι εξαπιθωτες, αχε, ης ηαυγας εβηλαδε Νεω υς ηηρ ηιστων. ηαι εν ερωδαρ, ελοσ ηλθετ ο κατακλυβιας, ηαι ηερ ανωρτας. Verum his verbis serpus Christi non fuit rerum significare abundantiam, quae fertilitati agrorum debeatur, sed potius, quod excidium illud ante diluuium mundi fuerit hominibus plane inexpectatum, utpote qui secrete vixerant, susque deo habentes diuinas comminationes.

sunt famis diuinitus immixtae: quæ sicut aliis forte plurimis exitio, ita piis Patriarchis exercitamentum fidei, & singularis prouidentiae Dei erga ipsos documentum fuerunt. Sic tempore Abrahami fuit fames in Cananaea grauis, quæ eum cum Loto in Aegyptum, Nili aquis irriguam, indeque annonæ feracissimam, compulit Gen. XII, 10. permittente id Deo, vt, quemadmodum *Theodoreus* Quæst. 66. obseruauit, Aegyptiis viri illius pietatem ostentaret, & ad imitationem proponeret. Pariter tempore Isaaci fames Cananaeæ incubuit c. XXVI, 1. vnde Isaacus Geraram, quæ ad austrum sita fuit, petens, in Aegyptum & ipse videtur iturus fuisse, a qua vero profectio eum tum prohibitio tum promissio Dei reuocauit v. 2. sqq. vtpote qui tempore famis amplissimam ei messëm destinaret v. 12. Grauior tamen vix vlla exstitit, quam quæ occasionem præbuit Iacobo & vniuersæ eius familiae veniendi in Aegyptum, vtpote quæ per septem annos non Cananaeam solum, sed Aegyptum quoque ipsam vehementer adflixit Gen. XLI, 54. sqq. Quæ verò vt ab Iacobo & eius familia sustineretur, Deus singularissimo fato, vel potius prouidentia, Iosephum præmissum in summo fastigio collocauerat Gen. XLV, 5. seqq. Sic igitur euenit, quod Psalter diuinus canit Ps. XXXVII, 18. 19. *Novit DOMINVS dies integrorum, & hereditas illorum in æternum erit: Non pudebunt tempore mali, ET IN DIEBUS FAMIS SATVRABVNTVR.*

§. VI. Interim licet AGRICOLATIO post lapsum *Commenda-* fit valde laboriosum viuendi genus, tamen post Paradisi cul- *tionis ab an-* turam fuit omnium antiquissimum, & a Deo ipso institu- *quitate, vti-* tum, vti ex loco illo Mosaico, quem §. IV. adduximus, claris- *litate, in-* sime liquet. Eidem adhæsit natu maior Adami filius Cain, *cunditate, &* sicuti contra pastoritium vitæ genus sibi minor demum de- *dignitate.* legit Habel Gen. IV, 2. Vnde hac in re minus accurate iudicasse videretur COLVMELLA Præf. lib. VI. de re rustica, *in rusticatione, inquit, vel antiquissima est ratio pascendi:*
B nisi

Tuberim in si conferas indicium Dira,
archi et Donati, quod infra p. 22. 23.
Mullinus, probabile fit, Alummellam
quæ pastorilium vitam aratoria
Priorem adinisse.

nisi adiecta particula *vel*, quæ idem aliquando significat, ac
etiam, orationem emolliuisset. Quod autem ad commendationem
agriculturæ porro facit, est illa simul vtilissima, summeque
necessaria; habet & suauitates alias, quibus tædia eius vel
absterguntur, vel temperantur; fuit denique apud veteres in honore &
gloria. Nam quod ad eius *usum* seu *vtilitatem* adinet, audiamus
auctorem in hoc genere irrefragabilem, modo nominatum COLV
MELLAM, qui Præfat. lib. I. de re rustica, *Sine ludicris artibus*,
inquit, *atque etiam sine caussidicis olim satis felices fuere futu-
ræque sunt vrbes. At sine agricultoribus nec consistere mortales, nec
ali posse, manifestum est.* Quid vero suauius contingere potest,
quam vel verno tempore iucundo succrescentis segetis spectaculo
oculos animumque pascere, vel, cum maturuerint fruges, vberem
laboris percipere fructum? Ad suauitatem agriculturalionis
pertinet oblectatio illa, quam Isaacus ipsis capiebat naribus
ex odore vestium Esauï Gen. XXVII, 27. *Ecce! inqueiebat, Odor filii mei est sicut odor agri, cui benedixit DOMI-
NVS.* A qua iucunditate ita adfectus est pius senex, vt Iacobus,
qui Esauï personam agebat, v. 28. in hunc modum benediceret:
*Det tibi Deus de rore celi, & pingua loca terre, & copiam frumenti
ac mÿsi!* Ratus, filium fortunatissimum fore, si hæc ei dona a
benignitate diuina obtingerent: plane vt *Virgilius* II. Georg. v. 438.
ait:

*O fortunatos nimium, sua si bona norint,
Agricolæ!*

Quam non inhonora autem apud veteres fuerit agriculturalio,
tum ex eo patet, quod Saul, iam designatus Hraelitarum
Rex, tamen boues aratores ducere haud erubuit *Reg. XI, Sim.*
5, seqq. coll. c. X, 21, seqq. tum, quod Historicus facer in
vzzia, fortissimo Iudæorum Rege, non bellicum solum
adparatum, regno suo defendendo vtilem futurum, v. g.
munimenta Hierosolymæ reparata, exercitum bis mille &
sexcentis ducibus, militibus vero vltra trecenties ac septies
mille

mille lectissimis instructum, armorum item copiam, & noua inuenta militaria, sed hoc æque collaudat, quod *urres* (puta, gregibus regalibus colligendis ac defendendis) *ædificauerit in desertis, ac cisternas multas* (colligendæ aquæ pluuiæ, quæ potum præberet pecori) *excidi extrauerit, utpote magnam vim pecoris alens, tam in decliui Iudæe parte, quam in planitie; & quod AGRICOLAS uinitoresque habuerit in montibus & aruo*, כִּי אָהָב אֲדַמָּה הָיָה, *eo quod AMATOR TERRÆ, hoc est, ex interpretatione Vulgata, homo agriculturæ deditus*, ex LXX virali γεωργός, vel, vt Alexandrinus codex legit, Φιλογεωργός fuerit, 2 Chron. XXVI, 10. Quod regalis œconomice exemplum si non plane germinum, tamen admodum simile esse videtur prudentissimis institutis, tum *Cyri* Persarum monarchæ, quæ *XENOPHON*; tum *Henrici IV.* Franciæ Regis, quæ *SULLIVS* singularibus libris celebrauerunt. Porro apud Romanos antiquos quantæ gloriæ fuerit cura rusticationis, probat pluribus *COLVMELLA* Præfat. lib. I. quem, quia ipse legi meretur, hæc non exscribimus. Silentio autem prætereundum non est illud *CATONIS* testimonium, quod lib. dere rust. c. I. veteribus exhibuit: *Virum bonum*, inquit, *cum laudabant, ita laudabant, bonum agricolam, bonumque colonum; amplissimeque laudari existimabatur, qui ita laudabatur.* Nec non hocce *CICERONIS* lib. I. Offic. cap. 41. *Omniū rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius.* Quæ cum ita sint, haud immerito, vt nobis quidem videtur, subscribimus iudicio doctissimi *SAM. BOCHARTI*, qui Hierozoic. P. I. p. 440. „Sunt, inquit, qui in *Caini* o-
 „dium, & *Abelis* gratiam, non contenti pastoritiam aratoriam
 „longe præferre, agriculturam, per quam omnes viuimus,
 „mire deprimunt, vt vilem & abiectam artem, cuique non
 „nisi propter peccatum simus addicti. Tamen eorum o-
 „mnium, quæ ad hanc vitam pertinent, solum panem di-

B 2

„serte

Vnde salient *Salomonicus* ductor, *refertur, quod in deserto, quod in Iudæa, quod in Ierusalem.*
 מִיָּמֵינוּ בְּעִסְקָא כֹּל יוֹמָא
 בְּשֵׂרָא דְּבַר דְּתַפְרָא מִיָּמֵינוּ
 Sicut, בארעה מילחא חפורה
 sum albes posteris in officium
 aliquos, quos se breuiter
 xe et vino: quod i vero lobi
 dem insumoris in terram (a
 agriculturam terra) refertur
 salis et herbis, ad significat
 omni, officium aliquod aut commercium agriculturam
 longe utilius esse et fructuosius, Præcedit enim:
 אִין לך ארמנות בחוונה מן בקרקע
 Nullum est opi-
 Actum vilius quam terra, i.e. agricultura.



„ferte petimus vt summe neceſſarium. Proinde (ſic idem
 „porro inquit) etiam e piis Regibus Vzzias agriculturæ fuit
 „addictiſſimus 2 Par. XXVI, 10. Et Romæ præcipui duces,
 „vt *Camillus, Regulus, Fabius, Cato, Serranus, Cincinnatus,*
 „ex aratro petiti ſunt. -- Et Deus ipſe ſuo modo eſt *agri-*
 „*cola* Ioan. XV, 1. & fideles *Dei agricultura* 1 Cor. III, 9. --
 „Neque dicendum eſt, terræ colendæ neceſſitatem ex pec-
 „cato deueniſſe, cum etiam ante peccatum hortum co-
 „luſſe dicatur Adam Gen. II, 15. Tantum operi, iam ante
 „peccatum neceſſario, difficultas ex peccato acceſſit: quia
 „terra, propter peccatum hominis maledicta, non respon-
 „det labori noſtro, & cultoris ſpem plerumque eludit.

Quinam ex
 Patriarchis
 agricolæ fu-
 erint, dis-
 quiritur.

§. VII. Igitur vt paulo propius ad inſtitutum no-
 ſtrum accedamus, qui œconomica Patriarcharum ſtudia pre-
 ſequi occœpimus; poſt **A DAMVM**, qui agricultorum omni-
 um primus, & **CAINVM**, qui ſecundus exſtitit, ex antedilu-
 vianis eidem arti addictus fuit **LAMECHVS**, Noachi pater,
 qui, cum propter ſæculi ſcelera, durum agriculturæ laborem
 ex incumbente maledictione diuina ſenſiſſet, propheticò
 ſpiritu ex natiuitate filii benigniora fata huic laboris gene-
 ri auguratus eſt Gen. V, 29. *Hic conſolabitur nos,*
inquiens, ab operibus noſtris, & a dolore manuum noſtrarum,
a terra, cui maledixit DOMINVS. Quade re iam ſupra ali-
 quid diximus §. V. Poſt diluuium vero idem ſtudiorum
 genus continuauit **NOACHVS**, vt qui non ſolum vini cul-
 turam inchoaſſe, ſed etiam **הַרְמֵה שֵׂן** *vir terre* fuiſſe
 legitur Gen. IX, 20. quod vocabulum latioris ambitus eſt,
 ac *ruficationem* omnem, & in hac agrorum inprimis *cultu-*
ram exprimit. Poſtulauit id non modo ſtatus Noachi &
 familiæ eius poſt diluuium; quia, cum nulli mortalium præ-
 ter ipſos ſuperelſent, a quibus panem pro aliis forte merc-
 eibus permutare potuiſſent, igitur niſi agros ipſi coluiſſent,
 vix commode victitare potuiſſent: verum etiam noua be-
 nedictionis diuinæ formula Gen. VIII, 22: *Adhuc omnibus*
die-

diebus terræ sementis & messis - non cessabunt. Num **ABRAHAMVS**, num **LOTVS** item, agricolas egerint, definire vix audemus, cum **Genesis** Mosaica nusquam (quod nos meminimus) aliquid ea de re memoria prodiderit. De **ISAACO** contra res certa est, & explorata. Fecit enim **Isaacus sementem in regione ista**, sc Gerarensi Philistæorum, & **invenit anno isto, quo fames Cananæam premebat** (מנה שש עשר) **centuplum proventum; atque sic benedixit ei DOMINVS**, Gen. xxvi, 12. Id quod summæ fertilitatis exemplum est, coll. **Matth. XIII**, 8. vbi **Christus**, bonam terram ratione proventuum in tres veluti classes dispiciens, **Alia semina**, inquit, **ceciderunt super terram bonam, & dederunt fructum, aliud quidem CENTIES, aliud vero sexagesies, aliud denique tricesies auctum**. Hæc autem tam eximia proventuum vbertas quid fuit aliud, nisi fructus effectusque **diuine illius benedictionis**, quæ **Isaaco**, si secundum mandatum Dei in Gerarensi regione mansurus esset, promissa erat, **ibid. Gen. XXVI**, 2. 3. Fidem igitur habere **promissionibus Dei**, est optimum multiplicandi **frumenti medium**. Quæ vero Philosophi de multiplicando frumento (**Von Vermehrung des Getraides**) scripserunt, ea quidem alio tendunt, & suo a nobis relinquuntur loco; sed hoc, ni fallimur, defectu laborant, quod ipsi **πελάγεις**, seu vsui & exercitationi non vsque quaque accommodata esse videantur. Ad agricolationem autem **Isaaci** probandam faceret forte locus, **ibidem** proxime subsequens v. 14. vbi, præter pecuarias & armentarias possessiones, ei fuisse dicitur **עבדה רבה**, id est, secundum interpretem Arabem, **agricultura multa**, & secundum **LXX Græcos**, γεωργία πολλά, seu **agricolationes multe**: sed **Vulgaris** interpres **Latinus** rectius ibi vertisse videtur, **familie plurimum**, id est, multitudo famulorum famularumque, seu seruatorum seruarumque; ita vt sit metonymia abstracti pro concreto, sicut **nobilitas** pro **nobilibus**, **ciuitas** pro **civibus**. Nam **primo** certum est, loco citato **sermo-**

B 3

nem

presbyterium pro presbyteris.

Auctor τῆς Ἐξηγήσεως δὲ τῆς κοίτης, quem **lac. Gothofredus** edit. l. p. 21. de **Aegypti incolis** loquens, τῶν ἄλλων, inquit, ἐπὶ πλείστον, ἐκείτων ἢ ἐκείτων ἐκείτων ἀποδοῦναι πέντε πέντε. Apud eos unus modius centum, immo centum et viginti modios reddi. Vnde plura apud **Sap. Herde**, **Summe Hypobolis** p. 41, 47. Agros non proprios, d. **condititulos** ab **Isaaco** cultos esse, **conciit. Cle** rius ad **Gen. xxvi**, 12.

scilicet παραδοξος quidem, sed **Christi** anis non difficiat concepi, quam hæc aut similes propositiones: **Matth. 13**, 23. **πάρτα διδάσκει τῷ πνεύματι**, **10h. 11**, 40. **ὅτι ἐπὶ τοῦ πνεύματος, ὁψὲ τὰν ὄσων τῶν ὄσων**, **Matth. 17**, 20. **ἐὰν ἔχητε πίστιν ὡς κόκκος σιτάτου, ἐρεῖτε τῷ ὄσῳ τῶν ὄσων. Μετὰ ταῦτα ἐρεῖτε ἐκείνῳ καὶ μεταστθήσεται, καὶ ἔσονται ὡς δρυὶς τῆς ἕλης**, **Cont. et Hebr. XI**, 33. **legit.**

nem esse, non de viuendi genere, sed de diuitiis & opibus Isaci; ad illud quidem pertinebat *agricolatio*, non vero ad has: nisi per *agricolationem* agros ipsos, qui coluntur, intelligere velis; quibus tamen Patriarchæ, in Cananæ peregrinantes, (sicuti mox docebimus) caruerunt. Deinde vero alibi, vbi Patriarcharum opes describuntur, עֲבָדִים וְשִׁפּוֹת *serui & ancille* commemorantur, v. g. Gen. XII, 16. c. XX, 14. c. XXX, 43. igitur probabile est, eos neque heic, vbi par institutum Scriptoris sacri est, prætermisissos, ac adeo per substantiuum illud עֲבָדִים *seruitium*, quod ab עָבַד *seruire* eformatum est, indicatos esse. Porro *Iacobum* cum familia sua aliquam *agriculturæ* operam dedisse, forte ex illo Iosephi somnio collegeris, quo visus est sibi cum fratribus *manipulos frumenti in agro colligauisse* Gen. XXXVII, 7. Ab his enim, quæ studia nostra occupant, & exercitationis diurnæ obiectum sunt, somnia fere nasci solent. Quam vero tenue sit huius argumentationis filum, ipsi facile intelligimus; inprimis cum idem Iosephus, eodem sensu, *mox* somniauerit quoque, solem, lunam & vndecim stellas, supplices sibi factas: quod sentimus ad rem nostram parum esse commodum. Igitur id in medio relinquentes, ad IOSEPHVM progredimur, magnum illum & sine exemplo Oeconomum. Hic enim, cum vbertatem non minus, quam famem septennalem totius Aegypti, diuino monitu tempestiue præuidisset, auctorque Pharaoni extitisset, vt constitueret Præfectos, qui per vniuersos regni sui fines, durantibus septem vbertatis annis quintam ab incolis prouentuum partem exigerent, & in futuros vsus regalibus in horreis reponerent, Gen. XLI, 33-36. quin, iubente rege, administrationem huius negotii ipse sapientissime obiisset v. 37. seqq. iure quodam suo heic, vbi de rurali œconomia agimus, locum poscere videtur: utpote qui Pharaoni hoc annonario consilio primo quidem argentum

totius tum Aegypti tum Cananæ Gen. XLVII, 14. deinde equos Aegyptiorum, pecudes, armentum, asinos v. 15. 16. 17. tum vero incolas ipsos, cum fundis illorum, lucratus est, v. 18. - 22. & ad quintam prouentuum partem soluendam posthac quoque obstrinxit v. 23. - 26. Saluator totius Aegypti non minus v. 25. quam iurium redituumque regali-um eximius amplificator. *Est ista exemplum economiæ principalis, potius, quam priuata, v. d. 1.*

§. VIII. Prius autem, quam discedamus ab agricultura patriarchali, iuuabit aliquid adicere, cum de ferti-
 litate Palæstinae, in quatriga illa Patriarcharum peregrina-
 ta est, Abrahamus, Isaacus atque Iacobus, tum de messe
 duplici. Omnino, licet terræ propter peccatum maledi-
 cium sit, tamen, quod Dauid Psal. LXXV, 10-14. ex merito
 prædicat, Deus post lapsum quoque non desinit inuisere
 terram, ac facere eam ut abundet, multumque ditare. Ri-
 uus enim Dei plenus est aquis, cetera. Inprimis Palæsti-
 nae, quam Abrahamo & posteris eius destinarat, pingue &
 feracissimum solum indulsit. Vnde Isaacus non solum
 ipse odorem filii sui vestiumque eius odoratus sicut
 odorem agri cui benedixit DOMINVS Gen XXVIII, 27.
 & centuplici prouentu ex sparsa sementi auctus c. XXVI, 12.
 sed etiam Iacobo filio suo פְּרִי הָאָרֶץ מְשֻׁבֵּי pinguia loca terræ,
 quæ euentus intra Palæstinae terminos ostendit, augura-
 tus est c. XXVII, 28. Testis vero omni exceptione ma-
 ior est Moses Deut. VIII, 7. DOMINVS DEVS tuus, in-
 quies Israeli, introducet te in terram bonam; terram tritici &
 hordei, vitis & ficus, & malogranati; terram oleæ oliviferae
 & mellis; terram, in qua non parce comedes panem, & in qua
 non egebis re ulla. item c. XIV, 11. 12. 13. Terra, quo vos transi-
 turi estis ad hereditandam eam, est terra montium vallium-
 que, que ex pluuia celi bibit aquas; terra, quam DOMINVS
 DEVS tuus curat, & in quam ingerit oculi DOMINI Dei tui
 intenti sunt, inde a principio anni usque ad finem eius. Quæ
 vero alii fertilitati, toties totiesque in sacris litteris cele-
 bratæ, ex hodierna eius facie opposuerunt, ea doctissime di-

Fertilitas
 Palæstinae;
 & duplex
 messis, hor-
 deacea at-
 que triticea.

triticea.

Mirum videri posset, nullam omnino mes-
sionem fieri cadentis s. ferentis, sed *Prodi-
m*
qua in species frumenti nobis xali
s. dicitur ad hunc dici solet. An quid
frumentum illud in Palestina forte
fuit cultum? Mentur res inquisitio,
nem. Sta ex. IX, 32. memoriam dicitur;
Ipsa ille exponit *Rea s. olivra, vilgo
Poeta. Conf. H. G. B. in Ludov. L. C.
Aeth. c. 103. At 127. epi. q. d. non
Generaliore significatur.*

dituit HADR. RELANDVS in Palaest. lib. I. c. LVII.
Porro MESSIS in Palaestina, sicuti specie frumenti, sic tempo-
re diuersa fuit. Hinc Gen. XXX, 14. mentio fit *messis triti-
ceae*, cui contradistinguitur *messis hordeacea* Ruth. 1, 22. c. II, 23.
Achuius quidem initium fuit decima sexta mensis Nisan
seu Martii, dicti alias Abib; vtpote quo tempore horde-
um in climate illo iam maturuit Exod. IX, 31. adeo vt po-
st die Sabbati Paschalis ab Israelitis debuerit *manipulus
primitiarum messis* ad sacerdotem adferri Leu. XXIII, 10, 11.
At triticea, in Pentecosten incidens, septem hebdoma-
dibus hordeacea messe posterior fuit, coll. Exod. XXXIV, 22. Et festum hebdomadum, seu Pentecostes, *facies tibi*, nem-
pe festum *primitiarum messis triticeae*. Vbi observa, Pente-
costen dici quidem *festum primitiarum messis*, non omnis
tamen, sed demum *triticeae*. Egit ea de re CONRINGIVS
Commentariolo *de tempore messis Hebrorum*, quem excer-
psit MATTH. HILLERVS in Hierophyt. P. II. p. 146.
seqq. Vnde adparet, hordeum non minus, quam triti-
cum, in Palaestina autumnali tempestate factum fuisse, illud
vero licet *posterior seminarum, tamen temporis tritico
maturuisse.* Addimus ad illustrandum ea, quae de auspiciis
messis, eiusque triticeae in primis, hucusque attulimus, lo-
cum EX ARISTOPHANE in *Auibus* p. 540. Edit. Scaliger.

Ἐν ὧν τὸ οὐκ ἔστιν ἄλλο, τοῦ δὲ οὐκ ἔστιν ἄλλο
τὸς πρὸς αὐτὸν, καὶ τὰς νεύρας ἐν τοῖς πεδίοις ἐδέξον.
Et quando Cuculus dixisset Cucu, tunc Phoenices omnes
Frumenta & hordea in campis merebant.

§. IX. De Paradisi custodia & cultura, quae Protopla-
storum studia ante lapsum iam occuparat, diximus supra §. III.
Post lapsum, vtut difficilior multo fuerit, tamen arborum
hortorumque cultura a Patriarchis non neglecta est. Nam,
vt COLVMELLA lib. III. c. I. iudicauit, arborum cura pars
rei rusticae vel maxima est. Et quod MATTH. HILLE-
RVS Hierophyt. S. Part. I. p. 95. recte monuit, „ Mille
„ sunt

AB.
T 10. Clericus Comm. ad Exod. IX, 32.
laudat Theophrastum de Hist. Plant.
L. VIII. c. 3. ubi de Aegypto verba
faciens, νεύρας πύρι, inquit, ἐν
ἐλαχίστω, πύρι δὲ ἐν τῇ ἐβδό-
μῃ. Hoc est, interprete
Plinio Hist. Nat. lib.
XVIII. c. 7. In Aegypto,
hordeum sexto a salu
mense, frumenta septi-
mo metuntur. Vnde Clericus

colligit, triticum et hordeum eodem mense salu fuisse. Sed ex hisdem auctoribus, collatis cum
lois citatis, potius conficitur, hordeum tritico prius fuisse seminatum. Nam initium mes-
sis hordeaceae, a triticeae messis auspicio abfuit quinquaginta diebus, n. illis, qui inter
Sabbatum paschale et Pentecosten interstiterunt: qui 50 dies faciunt integrum mensem et
insuper 20 dies. Ergo si hordeum a sexto, frumenta vero septimo a salu mense metun-
tur, oportet igit hordeum 20 diebus prius, qm triticum salu fuisse. Vnde adparet potius
me assertioni magnorum illorum virorum, Conringii et Hilleri, nimium tribuisse, securus
quam par erat illorum sententiam sequentem.

„sunt arborum vsus, sine quibus vita degi non possit. Hinc
 „homini & pecoribus alimentum, hinc agris medicina pe-
 „titur. Arbore secamus maria, terrasque admouemus, ar-
 „bore ædificamus tecta. Incensis earum lignis arcemus
 „frigora, fouemus artus, coquimus cibos, & ex terræ vi-
 „sceribus eruta metalla. Umbra denique foliorum luxu-
 „ria exuberans fessis corporibus blanditur, æstumque re-
 „frigerat. Igitur NOACHVS arcæ ex mandato diuino fabri-
 „candæ adhibuit עֵץ גִּפְרִי ligna de arboribus Gopher Gen.
 VI, 14. Quæ qualia fuerint, non vna est omnium sententia.
 Onkelosus in Chaldaica sua paraphrasi expressit, de
 lignis cedri; Arabs, de lignis buxi; Syr. de ligno viminis;
 LXX. ἐν ἑὺλων τετραγώνων, de lignis quadratis; Vulgatus La-
 tinus, de lignis leuigatis. SAM. vero BOCHARTVS
 Lib. I Phaleg, c. 4. Cupressos cum FVLLERO exponere
 maluit, cum quod vox Gopher sono proxima sit vocibus
 Coper, Cuppr, Cuper, vnde Græc. Κυπαρίσσιος & Lat. Cupres-
 sus; tum quod lignum cupressi sit ἄσπυρον, contraque tinea
 & cariem firmissimum, etiam ad struendas naues. VE-
 GETIO teste, præcipue vsurpatum; & quod nullibi com-
 modius potuerit hæc arcæ structura præstari, quam in As-
 syria vel Babylonia, vbi præter cupressos nulla sit alia ma-
 teries fabricandis nauibus; vnde & Alexander Babylone
 ingentem classem ex sola cupresso construxisse, apud AR-
 RIANVM atque STRABONEM legitur. Quæ MATT.
 HILLERVS Hierophyt. P. I. p. 376. contra monuit, tan-
 ti non esse videntur, quin nobis etiamnum Bocharri sententia
 se præ aliis probet. Porro ABRAHAMVS arborum cultura
 vacauit, coll. Gen. XXI, 33. vbi de illo dicitur: Et plantauit
 (עֵץ) ESCHEL apud Beersebe, & inuocauit ibi nomen DOMINI Dei æterni.
 Quid vero est illud Eschel? R. IONA coniecit, idem forte significare ac
 Arab. تان cum Tau raphato, nempe arborem Tamarici similem.
 Idem adprobauit G O L I V S Lex. Arab. sub hac vo-

isquam
 vbi primi mortales si antediluvia
 ni probabiliter habitauerint, cui
 regionibus paradiso vicinis, coll. Gen.
 II, 8. עֵץ הַיָּדֵן et עֵץ הַיָּדֵן, v. 10. עֵץ הַיָּדֵן

De loco illo Theophrasti liquet, vnde Verba illa Christi Ioh. IV, 35. Et tetrakanton est, uax' e de.
 εἰσόδος ἑσπερά, seminum in quo supponere, non stationem sementis, sed illud ipsum tempus, in quo
 Christus tum agebat, quem ipse discipulis suis loqueretur; 2) tempus stationis hordei incidere
 in initium Octobris, vel in finem Septembris; vitici vero in medium vel principium Septembris.
 Plura, partim falsa, partim rectiora, de statione messis in Palestina initio, vide apud I. C.
 Wolfium in Curio philol. ad l. c. et Suicerum in The. Hebr. sub ΤΕΤΡΑΚΑΝΤΩΝ. Ceterum
 Christian. Schumannus edidit Gottingæ de a. 1734 Diss. de ΤΕΤΡΑΚΑΝΤΩΝ Iohann. IV, 35. in qua, iudice
 C. A. Neumanno in Parisiæ scripturarum exegeseos a. 1742. verbo p. 7. verum eius locum

lum, nulli interpretum obseruatum, ita אֵשֶׁל, nihil est superius obcuritatis. Nota locum Gen. XXVI. 3.
וְהָיָה לְכֹסֶם דָּיֵשׁ אֶת בְּצִיר וּבְצִיר יִשָּׂא אֶת זָרַע

18

ec, addens, arborem illam, docente Zamaseberi, aculeatam esse, & in rectum adurgere, ex ligno autem paropsides & pocula confici. Ast DAVIDI KIM CHIO est nomen genericum, quod omnem arborem, & collectiue arboretum denotet. Ei suffragatur MATTH. HILLERVS l. c. p. 80. tum quod Eschel in loco parallelo dicatur אֵשֶׁל quercus, seu quercetum, coll. 1 Sam. XXXI, 13, cum 1 Chron. X, 12. vnde consequatur, אֵשֶׁל generale nomen esse, quod & quercum notionis suæ ambitu comprehendat; tum quod non intelligatur, quid causæ habuerit Abrahamus, quare Tamaricem, vilem arbusculam, & scopis tantum vilem plantaret. Quæ rationes sicut non omnino nullius sunt ponderis; ita lectori vltius perpendendum relinquimus, anne potius אֵשֶׁל Eschel sit deformatum ab אֵשֶׁר Escher, mutato ob euphoniā Lamed finali in Resch, sicutי חרור vrtica a חרור, פגור, cadauer a פגור, cetera? Quomodo אֵשֶׁל idem valiturum esset, ac אֵשֶׁר sacrum nemus, seu lucus. Sic certe facilius intelligeretur ratio, quare Moses Abrahamum plantauisse dixerit, non אֵשֶׁל arbores, nec אֵשֶׁל viridarium, sed אֵשֶׁל lucum; nempe quia arbores notari voluit non omnis generis, sed sacras & religionis exercitio destinatas: Neinde, quare Moses narrationi de plantato ab Abrahamo in Beersabe luco, immediate hæc verba subiecerit: Et inuocauit ibi nomen Domini Dei æterni; quæ, nisi sacrum fuisset illud arboretum, ad institutam narrationem parum commode adiecta esse viderentur. Dices: Atqui lucos & sacra nemora lex Mosis prohibuit, coll. Deut. XVI, 21. Non plantabis tibi lucum, seu ullam arborem, iuxta altare DOMINI Dei tui, quod facies tibi. Verum distinguenda hic sunt tempora patriarchalia ab illis, quæ legem ceremonialem Mosaicam insecuta sunt. Per hanc non solum abusus aliqui, qui ex contagio gentium apud Israelitas gliscere ceperant, contrariis institutis abrogati, sed etiam ritus, qui Patriarchis olim liberi & indifferentes fuerant,

rant, ideo, quod abusibus forte expositi fuissent, aut expo-
 ni potuissent, restricti atque prohibiti sunt. Ex horum
 igitur numero *plantatio luci* æque fuit, ac *erectio statue*, ab
 Iacobo quidem licite ac pie peracta Gen. XXVIII, 18-22.
 a Moisaica vero lege prohibita, coll. Deut. XVI, 22. Pertinet
 huc item locus Gen. XXIII, 17. vbi Abrahamus ab Ephro-
 ne Chetthæo emisse legitur agrum, cum spelunca in eo sita,
 וכל העץ & omnibus arboribus, quæ intra totum illius am-
 bium fuissent. ISAACVM quoque arboribus plantan-
 dis studuisse, euincere possemus ex Gen. XXIV, 63. Exierat
 Isaacus circa vesperam לישון בשרה, si quidem certa & ex-
 plorata esset harum vocum explicatio, quam IAC. GVS-
 SETIVS in *Comment. Ling. Ebr.* pag. 839. dedit; vt nem-
 pe verbum illud לישון esset denominatiuum, & sensus com-
 matis hic: *ad faciendum שיה השרו fruicem, seu arbo-
 rem agri, id est, ad colendum arbores fructiferas ac cicures
 tenerasque.* „Ad meditandum, inquit ille, interpretari so-
 lent; sed si hoc voluisset Scriptor, vsus esset voce recepta
 „שיה per *Iod*: quod aliam vocem cum ך medio prætulit,
 „aliud sibi in mente esse innuit.„ Et paulo post: „Cer-
 „te sanctos, inquit, meditatores sæpe audimus, nunquam ta-
 „men ille locus agri ab iis ad hoc delectus memoratur. At
 „שיה videmus ad agrum vt ad locum proprium referri. Il-
 „la ars circa שיה versans in arboribus ferendis, transferen-
 „dis, sarricendis, collocandis, terra circa ipsas emollienda,
 „inserendo, inoculando, plantando per ordinem spatiaque
 „idonea, alligandis ad fulcra ramis, iadustriam ingenium-
 „que hominis exercet. Sic in ea multum meditationis est.
 Verum rectius, puto, inhæserimus receptæ interpretati-
 oni, *ad meditantium*, siue, vt interpretes Chaldæi & Arabes
 reddiderunt, *ad orandum*: quam notionem licet verbum
 שיה, quod hoc loco in Kal expressum est, alibi in Hiphil
 habeat, tamen constat, verba, in primis mediæ radicalis ך,
 in Coniugationibus Kal & Hiphil eadem sæpe significatio-

C 2

*Nem Altaria vbiuis locorum exstru-
 ala, sacra vbiuis exerepta; al-
 legem non nisi eo in loco,
 vbi Deus nominis sui memoria
 collocasset; accedat, nisi commune
 Num. XVIII, 7.*

*Alqui nemo sub vesperam digreditur
 ad labores, sed sub ortum lucis pl.
 107120 - 24.*

/n

ne gaudere, vt **בון** & **הבון** intelligere, **לון** & **הלן** perno-
 stare; & quidni crederemus, Patriarchas, si quando recre-
 ationis causa in campos exirent, cum bonitatem diuinam,
 ex contemplatione fegetum, pratorum, hortorum vinea-
 rumque, meditato esse, tum soliloquia & preces ad De-
 um instituisse? Iuvat expositionem hanc, quod idem ver-
 bum **ויר** apud Arabes exponitur, *buc illuc obire per ter-
 ram*, peculiariter deuotionis ergo. Igitur ab Isaaco ad I A-
 C O B V M transimus, de quo, num arbores coluerit, pari-
 ter ignoramus. Legitur quidem Gen. XLIII, 10, filiis manda-
 uisse suis, vt iter facturi in Aegyptum summo annonae
 rei praefecto munus deferrent **מומרת הארץ** de fructi-
 bus terrae recens carpis, paululum resinae, mellis, styracis, sta-
 fles, pistaciorum, amygdalorumque: sed num arbores, fru-
 ctuum horum feraces, ipse coluerit, an vero fructus ab in-
 digenis Cananae pro pecore permutauerit, id verbis illis
 definitum non est.

Item cultu-
 ra vini.

S. X. AD VINI CULTVRAM progredimur, de cuius
 vtilitate COLV MELLA lib. III. c. 3. ita habet: *Studiosi agricola-*
tionis hoc primum docendi sunt, vberimum esse reditum vi-
nearum. E re igitur hominum fuit NOACHI institu-
 tum, de quo Moles Gen. IX, 20. *Incepit Noachus*, inquit,
vir agri, & plantauit vineam, bibitque de vino, cetera. Non
 dicit simpliciter, eum plantauisse, sed *plantare cepisse*: test-
 que hic singularis scopus libri *Geneseos*, variarum rerum
 nobis commonstrare origines: igitur verba haec eo tende-
 re putamus, vt Noachus intelligatur mortalium omnium
 primus vites collegisse vnum in locum, & ex racemis illa-
 rum maturis vinum expressisse. Id quod IO. CLERI-
 CVS Comment. ad I. c. putat contra Aegyptios a Mose ob-
 seruatum, qui, vt DIODORVS lib. I. docet, asseruerint,
Ευβοῖον γενέσθαι τὸν ὄσιον τῆς ἀμπέλης, πρῶτον τε ὄνω κελύφα-
σαι, καὶ διδάσαι τοὺς ἄλλους ἀναγκάρας τὴν κρητέραν, ἡμυνοῖσσι Ὀσί-
 v. g. ὡς vniuersi, humani generis, matrimony, peccati,
 morlis, vestium, bigamiae, ministrii, sacri, arborum, nauis,
 gationis, diuersitatis linguarum, venationis, imperiorum,

Dixerit forte quis, illud **ויר** inci-
 pere **אצור** **ויר**, vti **דֹאָרָא**,
מֵאָרְבָּרִי, Matt. XI, 7, c. XII, 2. Marc.
 II, 23. etc. Sed v' Leonasimus ille
 verbi **אצור** magis supponit,
 qm auincitur, & multo minus
 locum habet in Hebr. **ויר**, quod
 potius auspicia prima deno-
 tat Gen. 9, 26 לקרא דנו-
 ויהי כיהת הארץ, c. 6,
 הוה הרת להיות גבור
 דארץ

Dixerit porro v'
 illud **ויר** incipere referre se, non ad vini culturam ipsam, quae probabiliter iam ante dilu-
 uium fuerit, sed ad siluam anscagarum; vt sensus sit: Inde a diluicio rursum
 plantare coepit. Sed v' hoc afferendum factis est, non ויר, sed **ויר** reuerbit; z' Gen.
 c. VIII, 20. non pariter dixit: Et incepit **ויר** נח עברך לר' cum fr. hoc maiori iure
 dixerit voluit se; quia de sacrificiis, quod ante diluuium fuerit, iam constabat.

mines agriculturam. Quæ cum ita sint, non possumus quin cum S. IO, CHRYSOSTOMO singulare agnoscamus beneficium, quod Deus post diluuium mundo per Noachum exhibuerit, vires hominis, quæ multo quam prius imbecilliores erant, virtute vini instaurantem, atque adeo aliquod naturæ solatium, remediumque, posteris hoc modo relinquentem. Vide ea de re MATT. HILLERVM Hierophyt. P. I. p. 280. Inde verò & excusatio fit Noachus, quod de vino illo ita biberit, vt inebriatus fuerit, & retexerit se in medio tentorii sui: quia sic probabile fit, eum vini recens a se culti vim virtutemque nullo adhuc experimento cognitam habuisse, ac adeo per imprudentiam inebriatum fuisse. Atque vt sic de illo existimemus, ipsa eius pietas poscit, quam Moses tantopere prædicauit Gen. VI. 8. 9. c. VII. 1. Sed nec posteriores Patriarchas a vini cultura, siquidem occasio ferret, alienos fuisse, id quidem collegerimus ex eo, quod Melchisedech Abrahamo, a cæde quatuor regum reduci, panem obtulit & vinum Gen. XIV, 18. Lotusque post exitum e Sodomis vinum in specu potauit c. XIX, 32 -- 35. ex quo simul intelligitur, agrum Sodomæ, qui post subuersionem ita corruptus fuit, vt nonnisi malos inspidosque fætus producat, (coll. Deut. XXXII, 32. vbi de degeneribus Israelitis per tropum loquens, De vite Sodomorum, inquit, est vitis eorum, dequæ aruis Gomorrhæ, Vne illorum sunt vine felleæ, botri amari eis sunt;) sicuti ante excidium generatim fuerat instar horti DOMINI, sic speciatim laudatissimas habuisse vites. Id ipsum, quod modo dicebamus, magis confirmatur ex benedictionum patriarchalium formulis, vt cum Isaacus Iacobo, præter alia dona diuinitus danda, etiam רב תירש דגן תירש copiam frumenti & MUSTI Gen. XXVII, 28. 37. Iacobus vero filio suo Iudæ fundos vini feraces his verbis adprecatur c. XLIX, 11. Alligaturus est vini asinum suum, & vini nobili pullam asine sue: lauabis vino vestium suum,

T. Monodo idem Clericus obseruat, Gen. II. originem Mustica commemorare & scripturam, eam Thoti Aegyptio tribuendæ, hinc metallarum rerum inuentionem

C 3

Addi hic aliqua potuissent de stationis ac messis temporibus in Palastina, occasione præmissioris diuitæ post diluuium renouata Gen. VIII, 22. וְיָדַעְתָּ יוֹם הָאָרֶץ זְמַן קָצֵר וְזְמַן מַבּוּל וְיָדַעְתָּ יוֹם הָאָרֶץ זְמַן קָצֵר וְזְמַן מַבּוּל. Quam temporaria diuersitatem explicat ibi metaphrasæ Alexandri: אֲשֶׁר הָיוּ יָמֵי הַמַּבּוּל וְיָמֵי הַקָּצִיר וְיָמֵי הַחֹמֶת. וְיָדַעְתָּ יוֹם הָאָרֶץ זְמַן קָצֵר וְזְמַן מַבּוּל וְיָדַעְתָּ יוֹם הָאָרֶץ זְמַן קָצֵר וְזְמַן מַבּוּל.



ארץ דרועיה בתקופת תשרי וחציה בתקופת ניסן וקורא בתקופת טבת וחציה
 ע"ד וגו' *et Hierosolymita* בתקופת תמוז וקיסא וסמוא ועמי וליי לז יתבשרן
 Dispositio enclitica. *Et ad l. c. ubi vide a me not. in labors Kano Pentalesio glossato.*

(22)

suam, & sanguine uarum tegumentum suum. Ceterum ex historia Iosephi Patriarchae notabile est, quod Pharaonis pincerna vitem, & in ea tres palmites, cum botris maturantibus uas, per somnium videns, calicem Pharaonis manu sua tenere, uas uero sumfisse, SVMTAS QVE IN CALICEM PHARAONIS EXPRESSISSE, atque ita calicem in Pharaonis manum tradidisse sibi visus est Gen. XL, 9. 10. Quid enim? Num succum manu de uuis expressum Pharaon bibit? Ita omnino videtur esse: & putamus, eo tempore in Aegypto rem eodem se habuisse modo; ac hodieum in Habessinia, de qua IOBVS LVDOLEVS Hist. Aeth. lib. I. c. 9. n. 19. Vites, inquit, & uas prestantissimas habent, VINVM tamen ex eis conficere non solent; siue inscitia, siue quia aestate maturescunt, ubi fermentatio nimio aestu, praepropera mustum acore corrumpit. Vide eum pluribus hoc prosequentem in Comment. ad Hist. Aeth. lib. I. c. 9. n. LXXI. Hinc & in S. Caena Aethiopes veri vini defectum acinis vuae passae, aqua maceratis, supplere conantur, quorum succum exprimentes, loram potius vel passum, quam genuinum vinum efficiunt, teste eodem in Hist. Aeth. lib. III. c. 6. n. 82. qui & Iulium Papam de Consecrat. dist. II. c. Cum omne crimen. 7. allegat, permitentem, in casu necessitatis botrum in calice comprimi, & aqua misceri.

Cler. no Gen 49, 11. Innoce Henoo, tum lib. II. c. 77. Qui circa partem frumentariam habitant Aegypti, vino utuntur, factu ex hordeo, de his enim in ea regione vites.

Adi aliqnd hie poterit de קובי, vino babilonum et mellis. Item de קבוה hie vitae auctor Habel, Scenitice vero in primis labal Cainita. Eadem Abraham cum progenitoribus, fratribus atque filiis deditus fuit. *na: Cf. Scapula sub olivis. Vini potus de mu post diluuium cepit, antiquissimae aquae fuit.*

§. XI. Venimus nunc ad id, in quo Patriarcharum, Abrahami, Isaaci & Iacobi, vita omnis maxime occupata fuit, videlicet ad PECVARIAM REM & PASTORITIVM VIVENDI GENVS. Primus omnium ei deditus fuisse legitur HABEL, alter Adami & Euae filius, Gen. IV, 2. Erat Habel pastor licquet, Cain vero agricola. Vnde simul antiquitas artis liquet, de qua iam supra §. VI. allegauimus COLVMELLAE iudicium: In rusticatione vel antiquissima est ratio pascendi. Quocum conuenit, quod apud IO. CLERICVM in Comment. ad l. c. DICAEAREHVS a PORPHYRIO lib. IV. *negi anoxis* laudatus, postquam aurei

aurei sæculi vitam (hæc vero erat Paradisiaca) descripsisset, deinde pastoriam ingressos vitam, ac tandem homines in tertium viuendi genus, agriculturam, incidisse narrat; & quod DONATVS ad Virgilium scripsit, primo fuisse pastoralem in montibus vitam, post agriculturæ amorem. Quid tamen circa istarum duarum antiquissimarum artium ordinem ex historia sacra statuendum sit, §. VI. pariter iam monimus. Ceterum sicuti Cain, agriculturam exercens, priusquam fratrem occidisset, apud parentes mansit, post parricidium vero demum poenali sententia Dei ab eis se iunctus est Gen. IV, 11. 14. ita etiam Habel greges suos non nisi per vicinos paternis sedibus agros duxisse videtur. A cuius proinde instituto in diuersum quodammodo iuit IABAL, Caini ex sexta generatione soboles: qui quamuis & ipse pecuariam rem coleret, tamen fuit noui generis pastoritiæ artis auctor, אבא ויטב אהל ומקנה Pater habitaculum in tentoriis cum pecore. Quæ verba IO. CLERICVS in hunc modum recte παραφράζει: Primus, quod Scenite Nomades hodie faciunt, nulla certa sede, Hanocho vrbe relicta, nusquam diutius morabatur, quam copiam illic pabuli pecudibus alendis inueniebat. Et R. SALOMO in Comment. ad hunc locum: Is primus fuit, qui pecudes pavit in locis desertis: & sub tentoriis degens, loca mutabat pro ratione pascuorum gregis sui; ita ut pascuo in vno loco consumpto, in alio loco figeret tentorium suum. De Scenitis autem atque Nomadibus, & illorum viuendi genere, pluribus egit IAC. PERIZONIVS in Originibus Babylon. p. 240. seqq. Sunt, & fuerunt tales, in diuersis gentibus, non solum in Palestina & finitimis regionibus, inprimis Arabia, sed etiam in Mesopotamia, Scythia, India, Libya, Numidiaque, dicti ἀσὸς τῶν σκητῶν, a tabernaculis, quæ vbique, vbi pascua pro gregibus inuenerint, secum portant. PLINIVS lib. VI. c. 28. Scenitæ & ipsi vagi, sed a tabernaculis cognominati, quæ cilicis merantur vbi libuit. Hebræis etiam vocantur השכני באהלים

vel, quod eodem modo, in tentorijs re-
coris, id est, pecuarijs. Vt si ex
suam, i. q. מקנה אהל, ut habetur in
libro Iudic. loco pag. seq. lin. 2. alle-
gando.

בְּחֵלְיֵי habitantes in tentoriis, LXX. σκηνώτες ἐν σκηναῖς, Iud. VIII, 11. & per metonymiam continentis pro contento, כִּקְנָה אֹהֲלֵי tentoria pecoris, hoc est, pecuarii homines sub tentoriis degentes, 2 Chron. XIV, 14. Tentoria ipsa infra describemus, cum de Patriarcharum agemus habitaculis. Hic tantum addere libet ideam hominis Scenitæ, quam VIRGILIUS lib. III. Georg. dedit.

Quid tibi pastores Libyæ? quid pascua versu

Prosequar, & raris habitata mapalia tectis?

Sepe diem noctemque, & totum ex ordine mensem

Pascitur, itque pecus longa in deserta, sine vllis

Hospitiis, tantum campi iacet. Omnia secum

Armentarius Afer agit, tectumque lavemque.

Hoc igitur vitæ genus præ aliis tenuerunt, non solum ABRAHAMVS, ISAACVS atque IACOBVS cum filiis, sed & progenitores ac vniuersa familia illorum. Clara sunt eam in rem Iosephi verba, quibus Pharaonem ipse edocturus erat, & a fratribus edoceri iubebat de Iacobææ familiæ studiis, Gen. XLVI, 31, 32. Dicam, inquit, ad Pharaonem: Fratres mei, & familia patris mei, qui in Canaan hucusque fuerunt, venerunt ad me: Homines autem isti sunt pastores pecoris; quoniam pecuarii homines fuerunt. Et v. 33, 34. Cumque dixerit, (sic fratres adloquitur) Pharao: Quenam sunt negotia vestra? Respondebitis: Pecuarii fuerunt serui tui, inde a pueritia nostra & vsque in presens, tum nos, TVM MAIORES NOSTRI. Vide & Gen. XLVII, 3. Ipse Terachus, Abrahami pater, hanc pastoritiam artem exercuisse, & ad posteros suos transmisisse videtur. Hinc, licet idololatra esset, nec ita, vt Abramus filius eius, ex patria sua in aliam regionem commigrare iussus, tamen non gravatus est fortunarum suarum sedem, cum vniuersa familia, ex Vra Chaldeorum ad Charanensem urbem in Mesopotamiam transferre Gen. XI, 31. quod greges alenti saltem facilius fuit, quam proprios colenti fundos. Hinc non solum

lum **LO TVS**, Abrahami ex fratre nepos, qui cum patruo ulterius in Cananæam perrexit, *peculium*, hoc est, pecu-
 riam rem iam Charane parauerat sibi Gen. XII, 5. multo-
 que magis in Aegypto & Cananæa auxit c. XIII, 5. sed etiam
 4) Charanenſes Abrahami cognati, hoc est, poſteri Terachi
 ex Nachoro, Abrahami fratre, idem viuendi genus in Me-
 fopotamiæ campis continuarunt: id quod vel Labanis, ex
 Nachori ſtirpe coorti, hiſtoria docere nos poteſt Genef.
 XXIX. XXX. & XXXI. vt qui ex gregibus ouium capra-
 rumque, quos aluit, cum familia ſua victitauit.

§. XII. Hoc paſtoritium vitæ genus Aegyptiis qui-
 dem odioſum fuit, adeo, vt *abominationi eiſeſet omnis pa-
 ſtor pecudum* Gen. XLVI, 34. forte quod aliqui illorum o-
 ves capraſque perinde ac vaccaſ colerent, quaſ vero a pa-
 ſtoribus Hebræiſ maſtari & comedi nouerant, coll. Genef.
 XLIII, 31. Habuit tamen ipſe Aegypti rex ſuaſ paſtores &
 greges c. XLVII, 6. & cæteroqui pecuaria profeſſio tum
 honeſtiſſima tum lucroſiſſima, & Patriarcharum præterea
 ſtatui adcommodatiſſima fuit. Dicimus igitur primo, *ho-
 neſtiſſima*: quia nec reges olim puduit, operam ſuae ei ad-
 dicere. **DAVID** non ſolum ex caulis pecudum a **DEO**
 aſſumptuſ, & a lactantibuſ, quaſ ſequeretur, ouibuſ addu-
 ctuſ eſt, ad paſcendum Iacobum populum ipſiuſ, & Iſrae-
 lem hæreditatem ipſiuſ Pf. LXXVIII, 71. ſed etiam, poſt-
 quam regiam dignitatem iam obtinuerat, armentorum
 in Saronæ & vallibuſ, ouiumque & caprarum greges aluit 1
 Chron. XXVII, 29. 31. **VZZIAS**, ſolertiſſimuſ Iudææ rex,
 quem ab agricultura ſupra laudabamuſ §. VI. *adificauit tur-
 res in deſertiſ, & excidit cifternaſ multaſ*, illaſ quidem ad
 cuſtodiam, haſ vero ad potionem pecoriſ; eo quod pecuſ
 multum ipſi eſſet tam in decliui regione, quam in planitie, 2
 Chron. XXXVI, 10. Et **MESCHAM**, Moabitaram regem, non
 puduit eſſe **נֹקֵד** paſtorem, ſeu pecuarium, 2 Reg. III, 4. hoc
 eſt, nutrire pecora multa. Recteque **SAM. BOCHAR-**

D TVS

Paſtores Aeg-
 yptiſ abo-
 minabileſ.
 Cæteroqui
 vero pecoriſ
 cura hone-
 ſtiſſima, lu-
 croſiſſima, &
 Patriarcha-
 rum ſtatui
 inprimis ad-
 commodata.

Tales turres iam patriarchali tempore
 obtinuiſſe, conſtitit ex proprieſ 721
 777, quod turrem gregiſ denotat,
 Gen. XXXV, 21.

TVS Hieroz. P. I. c. 44. „Neque id, inquit, fuit ἀσβασ-
 „rov, vt qui rex erat, etiam eſſet paſtor. Tum enim non
 „priuatorum modo, ſed & Regum opes pecore conſtabant.
 Vide eum de hac re ibi agentem pluribus. Dicimus au-
 tem porro, curam pecoris fuiſſe *licroſiſſimam*. Teſtis eſt
 Regum ſapientiffimus Prou. XXVII, 23. ſeqq. vbi graphice
 eius vtilitatem, cum neceſſitate & facilitate depingit. *Co-
 gnoscendo, inquit, cognoscas faciem pecoris tui; aduerte ani-
 mum tuum ad greges: quoniam non in perpetuum durant opes;
 & numquid principatus manebit in generationem & generatio-
 nem? Cum migrauerit ſænum, tamen rurfus conſpicitur gramen,
 & colliguntur herbe montium. Oues erunt ad veſtitam tuam;
 & pretium agri, capri. Et ſufficiencia lactis caprarum erit
 ad cibum tuum, & victus erit ancillis tuis.* Teſtis eſt quo-
 que COLVMELLA, qui Præfat. ad libr. VI. ita ſcripſit:
*Ratio paſcendi eſt queſtuosiffima: propter quod nomina quoque
 & pecunie & peculii tracta videntur a pecore: quoniam id ſo-
 lum veteres poſſederunt, & adhuc apud quasdam gentes vnus
 hoc uſurpatur diuitiarum genus: & nunc apud noſtros quidem
 colonos alia res vberior nulla eſt, vt etiam M. Cato credidit,
 qui conſulenti, quam partem rei ruſticae exercendo celeriter
 locupletari poſſet, reſpondit, ſi bene paſceret.* Addimus, quod
 BOCHARTVS l. c. monuit: *Cum fruges nonniſi ad ſo-
 lum victum, pecudes inſuper ad veſtium proſunt, atque ex iis
 ſacrificia & victime petebantur, quibus placaretur Deus in
 peccatores iuſte inſenſus.* Diximus denique, pecoris cultu-
 ram ſtatui Patriarcharum (intelligimus autem hic præcipue
 Abrahamum, Iſaacum, Iacobum) apertime adcommoda-
 tam fuiſſe. Erant enim **גרים ותושבי** peregrini tan-
 tum & inquilini inter Cananæos Gen. XXIII, 4. Pf CV, 12.
 ac proinde propriis & hæreditariis fundis, quos colere po-
 tuiffent, deſtituebantur: ſimiles hac in re Kenitis, &, qui
 propago horum erant, Rechabitis; qui & ipſi, in tentori-
 is habitare, ac vitam agere paſtoritiam contenti, Iud. V, 24.

EX

ex præcepto Ionathanis, vnius ex progenitoribus suis, per
 Israeliticam regionem sparſi, domos nullas extruebant, nec
 vineas agrosue possidebant, nec faciebant sementem, Ier.
 XXXV, 9. 10. ad quem locum vide, quæ in Bibliis Halen-
 sibus Hebr. adnotauimus. Proinde non abs re SAM. BO-
 CHARTVS l. c. „Fatendum est, inquit, Patriarchas plus
 „adhibuisse operæ in gregum curam, quæ laboriosa minus
 „est, neque animum ita occupat, vt non superſit multum
 „temporis ad naturæ contemplationem, & rerum diuina-
 „rum meditationem. Neque pastores, vt aratores, saltem
 „in illis locis, certæ glebæ additi erant: sed, Nomadum
 „more, libere diuagabantur, & tentoria, sub quibus dege-
 „bant, pro pascuorum ratione, e loco in locum transfere-
 „bant, quod iis conuenit magis, qui se profitentur pere-
 „grinos, quomodo patriarche omnes vsque ad Moſen.

§. XIII. Hic vero quæri potest: Si Patriarchæ in Ca-
 nanæa peregrini tantum & inquilini fuerunt, & si proprio-
 rum fundorum nihil propemodum possederunt, quo pa-
 cto igitur fieri potuit, vt tam amplas & numerosas alue-
 rint greges? Sed nimirum Cananæa, per quam vagaban-
 tur Patriarchæ, abundauit pascualibus desertis, Hebraice
 מרבות דאית, a דבר duxit, (quod nempe illuc ducantur
 greges); de quibus vide sis HADR. RELANDVM in
 Palestina lib. I. §. LVI. Ideoque libertatem pascuorum ab
 indigenis Cananæis haud difficulter impetrarunt, siue pa-
 cto & stipulatione quadam, siue ex consuetudine illorum
 temporum locorumque, quod nempe pascua ibi locorum,
 & tunc temporis, licita omnibus ac libera fuerint. Quod
 ad prius, legimus sane, ABRAHAMVM בעלי ברית
 seu federatos habuisse homines opulentos atque potentes,
 Mamre, Aner & Eschol, in quorum & agris tentoria sua
 tetendit Gen. XIV, 13. & quos in cædendis quatuor regi-
 bus adiutores habuit v. 24. Quid mirum igitur, si ab his
 pascuorum libertatem est consecutus? Fuit item, concii-

D 2 lia-

*cui non absunt moſeſinae paſtoribus de-
 uoranda, de quibus p. 26. 27. Aliud
 u. 2. laboris, aliud vero meſeſinae ple-
 num eſſe: illud comparatiua ſentiu de
 paſtorali viſa neſah, hoc adfirmat.*

*Vnde Patri-
 archis, in Ca-
 nanæa pere-
 grinis, pascua
 ſuppetic-
 rint ad nu-
 merosus a-
 lendos gre-
 ges.*

*quod p. 26. extrema diximus
 et quod p. 27. ulterius
 adferemus.*

liatore Deo, tanta apud indigenas auctoritate, vt Melchisedech, Salemi rex, obuiam procedens ei, & cibum vinumque offerret, & nomine Dei altissimi benediceret Gen. XIV, 18. sqq. Sodomorum Regulus eum vt saluatorem diuinitus datum suspiceret v. 21. sqq. Abimelechus Philisteorum rex, diuino oraculo monitus, eum Prophetam esse, non munera solum ei daret, sed etiam diceret: *Ecce terra mea coram te est, ac patet tibi; vbicumque tibi commodum fuerit, habita*, Gen. XX, 7. 14. 15. vt denique, Ephrone iudice, Hebronenses eum ceu principem Dei venerarentur, neque quidquam officiorum humanitatis ei se denegaturos esse profiterentur Gen. XXIII, 6. Hinc ambulauerunt Patriarchæ a gente ad gentem, & a regno ad populum alium: nec sinit quemquam iniuriam facere eis; sed corripuit propter eos etiam Reges: *Ne attrectetis, inquit, vnctos meos, & prophetis meis ne male faciatis*, Psalm. CV, 13. 14. 15. Nam & ISAACVS, licet Gerarenses inuidos aliquando atque iniquos expertus esset Gen. XXVI, 14. seqq. tamen mox illorum Regem Abimelechum, stipatum Achuzzato amico suo, & Pichole militiae praefecto, ad se venientem, foedusque ac amicitiam honorifice petentem vidit v. 26. *Videndo vidimus*, inquebant, *DOMINVM adesse tibi; ideoque diximus: Sit, queso, iusiurandum inter nos, nempe inter nos & te, & percutiamus foedus tecum*, cetera v. 28. 29. Quod vero ad posterius, nempe ad paschualia loca tunc temporis libera in Palaestina, videtur id elici ex Abrahami verbis, quando ob societatis incommoda fratrueli suo Loto dicebat: *NONNE TOTA TERRA CORAM TE EST? separa te igitur a me: si sinistram elegeris, ego dextram petam; sin tu dextram, ego quidem ad sinistram me vertam*, Gen. XIII, 9. Vnde Lotus Iordanicam planitiem, in qua Pentapolis sita, sibi delegit, v. 11. 12. Quod historiae sacrae epitomator SVLPICIUS SEVERVS lib. I. c. 5. ita effert: *Lot, praee multitudine familiae a patruo digressus, vt laxioribus VACVAE TVM RE-*

GIO-

IONIS spatio vterentur, in Sodomis confedit. Et Genes.
XXXIV, 21. Chamor atque Sichem, ciuibus suis suafuri, vt
Iacobum eiusque familiam secum paterentur in vnum coi-
re populum; Etenim terra, inquit, ecce ampla spatio
CORAM IPSIS est. Ad quem locum IO. CLERICVS
adnotauit: „Plures agros possidebant, quam colebant Ca-
nanai; vnde fiebat, vt facile Hebræorum patriarchas per-
sines suos cum numerosissimis gregibus vagantes ferrent.
Sic postea quoque, quam Israelitæ in Cananæam ab Iosua
introduciti essent, & Hebræorum Resp. constituta, attributa
singulis tribubus portione terre, tamen pascualia loca
in desertis syluisque libera mansisse videntur. Adfirmant
hoc Iudæorum magistri in Gemara Babylonica Bava Kama
fol. 80. b. vbi decem constitutionum, quas ab Iosua sancitas
esse tradunt, hanc aiunt primam fuisse: שירו מרעין

כחורשין. *Ut liceat pascere gregem in siluis, nempe vbiuis,*
nulla tribuum habita ratione. Hinc, cum duplex ab aliis
Saron in Palestina statuatur, alia cis, alia trans Iordanem,
HADRIANVS contra RELANDVS in *Palestina* lib.
I. c. 55. pag. 370. vnâ tantummodo necessariam esse iudi-
cauit, cis Iordanem, circa Ioppen Lyddamque. „Qui lo-
cus cum pascendis gregibus in primis aptus fuerit, (Con-
fer enim in Chron. XXVII, 29,) non est mirandum, inquit,
etiam Gaditas, qui pascendorum pecorum studio erant
dediti, heic greges pascisse in Chron. V, 16. Et (sic pergit
ille) notatu dignum est, l. c. scribi, Gaditas habitasse in Gi-
lead & Baschan, וכל מנרשי שרון & *omnibus suburbiis*
Saronis? Quid? habitabantne in suburbiis, non vero in
urbibus, si illa regio ad ipsos peruenit? Sed suburbia pa-
scuis erant destinata: vide Num. XXXV, 3. Ios. XIV, 4.
Adeo que Saron illa quærenda est in tali regione, cuius
non vrbes, sed suburbia ab ipsis incolebantur: & cum hæc
regio Saron notissima sit, ac alendis pecoribus apta, & a-
gendorum pecorum cura Gaditis erat præ aliis tribubus eis

See in Talm
Saron in
Bava
Gaditas
Chron. V, 16
Chron. XXVII, 29
Num. XXXV, 3
Ios. XIV, 4

ושמתיה כמדבר
Hinc ad Hof. 2, 4 notat:
שהוא הפקר לכל
omne omnibus; cum subiuncta
יהיו, applicatione, ויהיו
למקריב לכל כמו שגמר וחסרתו
פני עמם ויהיו לאכול.

♀ Conf. Vesteros Fonetatt. ad Ray.
S. 16.

T Absalomus, Davidis filius, ac adeo
Nephelémica oriundus, strige, pecu-
ariam rem habuit ורעוהו ורעוהו
מפלים עמ ורעוהו ר Sam. XIII, 23.

Proin sicut Grotius de mari
libero differuit, ita ex cen-
titudine prisca Orientis de
desertis et pascuis libe-
rio differantur possel.
Appud Sams ibidem de
verba pascuis libera
fuisse, liquet ex illis Virgily
verbis qua supra (p. 24) allegavi.

Jordanicis, cur alteram Saronam fingeremus trans Iorda-
nem? Quantum ad nos, non quidem diffitemur, hanc
Relandi assertionem suis implicitam esse difficultatibus, ac
adeo liberum cuique iudicium relinquimus: attamen iu-
vare Relandianam sententiam videtur, quod suburbia Sa-
ronæ contradistinguuntur Gileaditidi, quo nomine venit,
quidquid est regionis trans Iordanem a Gaditis ac Manas-
sitis possessum. Ceterum & Rechabite, Iethronis posteri,
licet sortem nullam in dividenda Palæstina cum Israelitis
accepissent, tamen cum gregibus suis, quos aluerunt, tum
australes, tum boreales Israeliticæ terræ partes libere obi-
erunt, & tum heic, tum illic tentoria sua fixerunt, Iud. I,
16. c. 14, II. 17. coll. quæ in Bibl. Hal. ad Ier. XXX, 7. notata
sunt. In Mesopotamiæ campis similem pascualium loco-
rum libertatem fuisse, ex eo fit verosimile, quod Laban in-
ter greges, filiis suis & Iacobo commissos, tridui intervallum
fecit Gen. XXX, 16. Id enim spatii plus est, quam ut homi-
nis priuati vnus fundus proprietarius fuisse credi queat.
§. XIV. Quæ cum ita sint, igitur Patriarchæ Cananæ-
am vniuersam, a borea vsque ad austrum, nemine impedi-
ente, cum gregibus suis peruagati sunt, Gen. XII, 6. 8. in
Aegypum vsque delati v. 10. indeque per australe latus ad
interiora Palæstinæ remeantes c. XIII, 1. seqq. Quin Abra-
rahamo, Surge, inquit Deus, perambula terram hanc secun-
dam longitudinem ipsius, & latitudinem. Lotus vero, cum
ab Abrahamo digressus esset, in Iordanica planitie diuersis
stationibus ad Sodoma vsque perrexit c. XIV, 12. Et quam-
vis Isaac in australi potissimum tractu apud Beerlabæ hæ-
sisset c. XXIV, 62. c. XXV, 11. tamen aliquamdiu in regia
quoque Gerarensi c. XXVI, 1. seqq. deinde vero in valle
Gerarensi degit v. 17. seqq. tandem circa extrema vitæ apud
Hebronem (forte vt morti vicinus, ab sepulcro familiæ suæ,
quod Abrahamus illic emerat c. XXIII, 20. abesset propi-
us) habitauit, c. xxxv, 27. Sed & Iacobus, ex Mesopota-
mia

12

1v

13

Polus
Pola
reue

nia redux, per Gileaditidem & Machanaimum greges suos duxit c. XXXI, 47. c. XXXII, 3. indeque porro per Penuelem v. 31. vsque ad Succothas progressus c. XXXIII, 17. hinc Sichemum versus mouit v. 18. inde vero Luzam, quæ & Bethel dicta fuit, c. XXXV, 1. seqq. porro Bethlehemum v. 16. & Migdal-Eder v. 21. denique Hebronem, alias Mamre dictam itidem sepulturæ causâ, (vt probabile nobis est) concessit v. 27. Et tamen vel sic filii Iacobi greges ex Hebronensi valle Sichemum, indeque Dothanum egerunt cap. xxxvii, 12. 14. 17. Iudas vero cum peculiari grege a fratribus digressus, Adullamum & Thimnatham vsque processit. c. xxxviii, 1. seqq.

§. XV. Diximus de pascuis. Sequitur, vt de adaquatione pecoris pariter aliquid adiciamus. Fuit quidem Palæstina terra fluminum, aque, fontium, laticumque, scaturientium tum in planitie tum in montanis Deut. VIII, 7. Generatim tamen calidum illud Orientale clima tantam aquarum copiam, quantam boreales tractus nostri, non habent: ac adeo pecoris aquatio non tam facilis illic, ac apud nos. Nam & riu, crescente æstiuo calore, fere siccantur, vt intelligi potest ex Iob. VI, 17. Tempore, quo soluantur riu, glacie niuibz tecti, exsiccantur; cum incalescit, intereunt a loco suo, cetera: & fontanæ aquæ, inprimis viue, id est, quæ sapidæ ac dulces, non vero amari salique saporis sunt, in australi potissimum Palæstinae parte, sicut & in finitimis regionibus, satis raræ, indeque & caræ sunt. Produunt hoc mappæ geographicæ MStræ Arabicæ, quarum exemplar aliquod, Palæstinam, Aegyptum & Arabiæ partem complectens, Bibliotheca Orphanotrophei Glauchenfis ex donatione viri summi B. IOBI LVDOLFI possidet. Videas enim ibi passim adnotari מלח מים פו fontem aque dulcis, haud aliter ac urbium, oppidorum castellorumque nomina. Quin & ipsi Scriptores sacri in topographiis Palæstinae hic illic fontes, & quidem cum articulo definito loco-

Adaquatio pecoris in calido climate diffi- cilior, ob raritatem aquarum. Occupata obiectio: Quæ inq. regio fuit terra fluminum, ea non laborauit raritate aquarum, sed Palæstina, E. Resp. limitatos magis rem, ea comparate non laborauit raritate aquarum; no. si compara- ueris eam cum Arabia, Libya alijsue calidioribz aduic regio- nibz. Interim ta. si comparet cum regionibz nostris, dicitur postq. raras habuisse aquas.

De ratione adaquandi greges comparare potest ex his quæ Golig. lex. Ar. c. 2472. scripsit. p. 81

potus quo primum adaquantur camelis. Si. Post eum prope aqua locum cubant: deinde potatum tederunt; qui secundus potus. De Ateleon dicitur: ab eo deniq. in pascua reuertuntur.

locorum illorum ignaris satis notos commemorare solent, v. g. Gen. XVI, 7. על עין המים במדבר על העין בדרך שור. *iuxta fontem illum aquarum; iuxta fontem illum; inquam, in via Schur: quod proin minus accurate vertit B. LVTH. RVS, bey einem (debuisset reddere definite, bey dem) Wasserbrunnen in der Wüsten, bey dem Brunnen am Wege zu Sur, pro am Wege nach Sur. Sic c. XXIV, 11. המים במדבר ad fontem illum aquarum; LVTH. itidem indefinite, bey einem Wasserbrunnen, rectius, bey dem Wasserbrunnen. Num. xxxv, 11. Descendet terminus a Saphama versus Riblam, בעין במקום ab oriente illius fontis; LVTH. zu Ain von Morgenwärts, quasi esset proprium Nomen; pro quo verti debuerat, von der Morgen-Seite des (daselbst wohl, bekanten) Brunnens. Et i Sam. XXIX, 1. Israelitæ castra metabantur, בעין אשר בו זרעה, LVTH. zu Ain in Gesereel, quomodo & SCHMID. in Ain; rectius, apud fontem illum, qui est apud Teyreel. Quod ut magis intelligatur, recogitemus modo in historia populi Israelitici in desertis commemorari quidem repositos aliquando fontes, sed aquam scaturientes amaram & insalubrem, quam bibere nequiverint Israelitæ præ amaritudine, Ex. XV, 23. Hinc igitur concertationes Gerarensium cum pastoribus Patriarcharum, cum fontes ab his fossos illi contra vel vindicarent raperentue iniuste, vel, instimulante invidia, iniectis pulvere ac arenis obstruerent; idque temporibus cum Abrahami Gen. XXI, 25. tum Isaaci c. XXVI, 14-22. Hinc ingens evenua reputabatur, & impensis gaudii materia erat, si quando aquas fontanas reperissent, ibid. v. 22. & 32. & Abrahamus Abimelecho Philistæorum regi septem ovium munusculum obtulit, in solemnem testificationem iuris sui in Beerlabeeensem fontem, ab servis suis effossum Gen. xxi, 30. Ceterum quod de fontibus, invidia Philistæorum obstructis, ex Gen. XXVI, 17, 18. deque aquarum raritate generatim, modo diximus, lucem forte acceperit ex his, quæ de*

Sic de fonte Jacobi Samaritana mu.
Hier. Ioh. IV, v. 12. Iacobus inquit,
dedit nobis puteum istum, et ipse
ex illo bibit, unaq. fili eius et pecora.

de Arabum cisternis refert DIODORVS SICVLVS
 Biblioth. lib. XIX. Quia terra argillosa est, inquit, aut mollem
 habet petram, magnas in illa cauernas faciunt, quarum orifi-
 cia minima sunt, prout profundius fodiunt, cauernas amplio-
 res facientes: tandem ad eam magnitudinem deueniunt, vt
 vnunquodque latus ingerum (πλάτους) pateat. Receptaculis
 autem illis aqua pluuia repletis, orificia obstruunt, iisque ve-
 liquo solo adequatis, signa, que ab ipsis quidem noscantur, ab
 aliis vero non animaduertantur, ibi relinquunt. Hinc Cha-
 ranensibus fons extra oppidum situs aquas præbuit, quas
 vesperi hauistas in urbem detulerunt feminae, Gen. XXIV,
 11. seqq. idemque fons pastoribus illius loci sub certa de-
 mum lege communis fuit, vt nempè tum demum, cum
 greges omnes congregati essent, deuoluto ingenti illo lapi-
 de, quo fontis orificium superne munitum erat, aquæ pas-
 toribus diuiderentur, canalibus potatoris (ποτατοῦ), qui
 illic dispositi erant, infundendæ c. XXIX, 2. 3. coll. c. XXIV,
 20. Erat igitur fons ille quodammodo, כַּעַר מַעוֹן

כַּעַר מַעוֹן scaturigo oppellata, fons obsequatilis Cant. IV, 12. quæ
 locutio & ipsa a raritate aquarum fontalium fapidarum de-
 sumta est. Parcitate denique aquæ, ceu matrem ali-
 quando litium inter pastores in calidiore climate, ostendit
 historia Moysi Exod. II, 16. 18. 19. qui cum ex Aegypto in
 Midianitidem profugus, ad fontem sedisset, vidit septem
 sacerdotis Midianitici filias aquam ex fonte hauistam pota-
 toris infundere canalibus, ad adaquandum patris sui gre-
 gem, mox vero superuenire alios pastores, qui pro more
 suo filias illas depellerent: quibus vero opem tulit Moyses,
 & gregem ipsarum adaquauit, vt citius, quam fieri alias
 constituerat, ad patrem reuertenterentur.

§. XVI. Pastores, quorum in Patriarchali historia fit
 mentio, fuerunt vel domini gregum, vel dominorum liberi,
 vel denique mercenarii ac serui. Nam Gen. XLVII, 3. vbi
 Iosephus fratres ad Pharaonem dicere iubet, Pastores peco-
 ris

De mulieribus sub vesperam exe-
 untibus ad aquam extra portam
 petendam, Raphaelius Adnotat.
 ex Xenoph. p. 358. Iq. etiam locum
 Xenophonis de exped. Græc. IV,
 p. 260. l. 5. obleruauit, vbi He-
 riphilus, inquit, sub ipsum crepus-
 culum ad vicum petendam venit,
 καὶ ὄψεσθε ὄσδας ἐκ τῆς κοίτης
 Ἰσραήλ καὶ κόρας πρὸς τὴν
 νεκρὴν καὶ ταλαύραται ἐπιτρέσαντες
 τὸ ἕρματος, ac mulieres et
 puellas aquam decantes proster
 fontem ante manitionem ipsam
 Pastorum
 diuersitas,
 officia & mo-
 lestia.
 Adnot. Sic Io. IV, 7.
 Ἰσραήλ καὶ κόρας ἐκ τῆς ἐκ-
 τῆς ἀντιπύλης πόλεως.

coris sunt serui tui, tum nos, tum patres nostri; haud dubie domini gregum, vel liberi dominorum intelliguntur. Liberi vero dominorum porro vel filii fuerunt; vt quando Iosephus cum fratribus suis gregem pauti c. xxxvii, 2. 12. 13. vel filie; vt cum Rahela c. xxxix, 9. dicitur cum grege patris sui venisse, subiuncta ratione, quoniam (מורה) pastorina mulier erat. Hoc vero priscae saeculi simplicitatem potius, a delicatulis moderni temporis moribus valde diuersam, quam paupertatem Labanis, cui id IO. CLERICVS per coniecturam tribuit, redolere videtur: plane vt Rebecam non dedecuit, sumto cado, vesperi cum aliis oppidanis virginibus extra Charanensem urbem aquatum ire; & viri hospitis camelis aquas ad potandum haurire c. xxxiv, 11. seqq. nec Reguelis Midianitarum sacerdotis filias pudit, paternos ducere greges, & hausta ex puteo aqua in agro adquare Exod. II, 16. Ac de seruis quidem dicemus posthac: mercenarius vero pastor Iacobus fuit, quamdiu in Mesopotamia apud Labanem commoratus est. Genes. XXIX, 15. c. XXX, 31. seqq. Et tamen animum habuit nequaquam mercenarium; ita vt aptari in eum potuissent verba Christi Ioann. X, 12. 13. Mercenarius, & qui non est pastor, cuius non sunt oves proprie, videt lupum venientem, & relictis ouibus fugit; & lupus rapit eas, dissipatque oves: Mercenarius vero fugit, quoniam mercenarius est; nec cura sunt ei oves. Nam, quod fidelis est operarii, omnibus viribus suis seruiuit focero Genes. xxxi, 6. ideoque ad ipsius provocans conscientiam, ait v. 38. 39. 40. His viginis annis apud te fui: oves & caprae tuae non abortiuerunt, & arietes gregis tui non voravi: discerptum a feris non attuli ad te, ipse ego tui illud, a manu mea requisuisti illud; item quod siue interdium siue noctu furto ablatum erat. Factum est interdium, vt me consumserit estus, & frigus noctu: & fugit somnus meus ab oculis meis. Quibus verbis vt officia, sic molestias pastoralis vitae laetis luculenter descripsisse videtur. Ad

OFFIGIA enim pertinet, 1) *Cauere pecoris abortum*; quod fit, cum pastor admitturam commodo tempore adhibet, vt fobolefcant pecudes, aut cum grauidas ictu vel alia quacunque ratione non lædit; maxime vero, cum Deum, a cuius benedictione pendet gregum fœcunditas, propitium habere studet: vnde propter Iacobum Labanis gregibus benedixerat Deus, vt agnoscit ipse Laban Gen. xxx, 27. 2) *Arietes gregis non vorare*: quod faciunt furaces & luxuriosi pastores, quales describuntur Ezech. xxxiv, 2. 3. *qui pascunt se ipsos; adipemque comedunt quidem, & lana velluntur, & pecudem pinguem mactant, pecus vero non pascunt.* 3) *Providere, ne quid vel a feris vel a furibus surripiatur.* Qua tamen in re sufficit, a pastore culpam præstari. Vnde ex lege Mosis Exod. xxxii, 9. 10. *Si quis dederit alteri asinum, aut bouem, aut pecudem, aut iumentum vllam, ad custodiendum: mortuum autem id fuerit, aut fractum, aut vi abactum, nullo vidente: iuramentum Domini esto inter vtrosque, annon custos pecoris manum suam extenderit in rem proximi. Idque accipiet Dominus, & custos non restituet.* Et v. 12. *Si quid discerpendo discerptum fuerit, pro testimonio id adserat, nec discerptum restituet.* Auaritiam igitur & iniquitatem Labanis erga Iacobum olet, quod pecudes quomodocunque discerptas, aut furto surreptas, ab eo repetierit. Vt autem aliis quoque ex libro Geneseos locis pastorum officia suppleamus, pertinet huc porro 4) *Gregem lente deducere, ne quid damni capiat.* Sic enim Iacobus Esau comitatum in itinere deprecaturus, Gen. xxxiii, 13. 14. ait: *Pecudes atque vacce lactantes incumbunt mihi: quodsi eas impulerint pastores vno die, omnes moriturae essent pecudes. Transeat, quæso, Dominus meus ante seruum suum: ego vero lente progrediar, pro gressu pecoris, quod ante me ago.* 5) *Pecori recubitum concedere meridianum, inde vero rursus ad aquas, & ab his ad pascua iterum, ad vesperam vsque ducere.* Hinc Iacobus, in Charanentes agros delatus, vidit tres pecu-

pecudum greges, iuxta fontem recubantes Genes. XXIIX, 2. quos ille ad nocturnum recubitum iam coactos, & aquarum istius fontis usum sine lege ac liberum esse, ratus; *Multum adhuc diei superest, inquit pastoribus: nondum est tempus colligendi pecoris: adaquate igitur pecus, atque ut, pascere.* Quod de meridiano recubitu diximus, confirmatur tum ex Cant. I, 7. vbi Sponsa Sponso, *Indica mihi, inquit, ubi pascas, & ubi (רררר) recubare facias* gregem tuum circa meridiem, coll. simul Ps. XXIII, 2. tum ex scriptoribus rei rusticæ, quos SAM. BOCHARTVS Hieroz. P. I. p. 519. diligenter excerptit; ex quibus in præsentem nobis sufficiat illud VIRGILII Georg. I. III. v. 327. seqq.

*Inde ubi quarta sitim cæli collegerit hora,
Et cantu querule rumpent arbuta cicade,
Ad puteos, aut alta greges ad stagna iubeto
Currentem ilignis potare canalibus undam;
Aestibus & mediis umbrosam exquirere vallem,
Sicubi magna Iouis antiquo robore quercus
Ingentes tendet ramos; aut sicubi nigrum
Illicibus crebris sacra nemus accubet umbra.
Tum tenues dare rursus aquas, & pascere rursus
Solis ad occasum, cum frigidus æra vesper
Temperat, & saltus rescit iam roscida luna.*

Porro ad MOLESTIAS vitæ pastoralis pertinent ex loco supra adlato 1) *aestus diurnus*, qui Matth. XX, 12. ο νιτωρω adpellatur, & cum alibi, tum in Orientali climare, maximeque in Mesopotamia (vbi Iacobus mercenarium pastorem egit) grauis esse solet. Iuuat hic ex CVRTII lib. X. c. 10. commodum adscribere locum: *Non aliis, inquit, quam Mesopotamiae regione feruidior aestus existit, adeo ut pleraque animalia, que in nudo solo deprehendit, exstinguat; tamus est vapor soli & cæli, quo cuncta velut igne torrentur.* Huc referendi venti vrentes; quomodo verba illa, *interdiu me consumit aestus*, interpretis Arabicus explicauit: *In die vrent*

*Inde factum, ut a verbo (ררר) cubavit
complexibus pedibus, (il ררר) aestu in,
valuit sol, ita ut qd. cubare crege,
rit oues.*

bant me venti orientes. In his eminet **רוח הדר** ventus ab Oriente spirans, qui sicuti fegetibus noxius, Gen. XLI, 6. sic hominibus grauis est, Ion. IV, 8. 2) *Frigus nocturnum*, quod his, qui in calidis regionibus sub dio pernoctant, tanto est sensibilius, in primis ante auroram, quanto magis diurnus æstus poros laxauit, in primis cum noctes illic in ætate longiores, quam apud nos, sint. 3) *Noctes insomnes*, quæ sub dio excubantibus (*ἀγρυπῶσα*) obtingunt: sicut de pastoribus Bethlehemicis Luc. II, 8. dicitur: ἀγρυπῶντες, καὶ φυλάσσοντες τὰς Φυλάκας τῆς νυκτός ἐπὶ τὴν ποιμνὴν αὐτῶν. In agris pernoctantes, & vigiliis noctis seruantes in gregem suum. Huc accedunt 4) *pericula a feris, furibus latronibusque*, a quibus qui gregem defendere sustinent, ipsius vitæ discrimen subire necessum habent: vt vel sic comprobetur, quod Christus, quanquam tantum per simile, dixit Ioann. X, II. *Pastor bonus animam*, hoc est, vitam suam ponit pro ouibus. Confer exemplum Dauidis, vti gregem paternum, sic vitam suam aduersus leonem & vrsū tuentis, 1 Sam. XVII, 34. seqq.

§. XVII. Quemadmodum agricolis messis, vini vero cultoribus vindemia festiua ac læta fuit, coll. Es. IX, 2. *Gaudent coram facie tua velut gaudio tempore messis*, & Pl. IV, 8. *Indidisti gaudium cordi meo maius, quam tempore quo frumentum illorum ac mustum multiplicata sunt*: sic & pecoris altoribus *tonsuræ* tempus solemne & coniuiale fuit. De Labane dicitur Gen. xxx I, 19. *Abierat ad tondendum oues suas*. Hinc Iacobo quidem commoda cum suis clam euadendi, Rahelæ vero penates paternos suffurandi occasio nata est, ibid. & v. 18. Et de Iuda, Iacobi filio, Genes. xxx VIII, 12. *Mortua est filia Schuæ, vxor Iudæ: consolationem autem accepit, id est, luctum tandem deposuit, ideoque, vt animum recrearet, ascendit ad tonsores gregis sui, ipse & Chira Adullamensis amicus eius, Thimnam*. Quo tempore, cum solutior curis, & genio suo, occasione festiuitatis

17
Vnde Ioh. x III, 18. paschali tempore, et pridie illius diei, quæ messis hæc. Deare sufficiat fieri docuerant. In. εισηγεθησαν οι δεστοι χρι οι ιηου πεταρ ανθεακιαν παπομικτες, οτι ψυχος ην, χι εδραματοροιο.

Tonsuræ tempus festiuium & coniuiale.



Adi hic aliqua potuissent de Vena
tionibus, quarum studio delecta Xim,

וּמִן הַיָּמִים הַהֵם, אֲבִיר צִיד לְבַשׁ הוּא, ita vt
in proverbium abierit. Gen. X, 9, i,

לֵאמֹר אֵלֶיךָ, אִישׁ יָדַע צִיד הוּא, אִישׁ שֶׁיָּדָע
הוּא, אִישׁ שֶׁיָּדָע, c. XXV, 27, 28. c. XXXVIII,

וְיָדָע אֵלֶיךָ, אִישׁ יָדַע צִיד הוּא, אִישׁ שֶׁיָּדָע
הוּא, אִישׁ שֶׁיָּדָע, c. XXXVIII, 27, 28.

וְיָדָע אֵלֶיךָ, אִישׁ יָדַע צִיד הוּא, אִישׁ שֶׁיָּדָע
הוּא, אִישׁ שֶׁיָּדָע, c. XXXVIII, 27, 28.

וְיָדָע אֵלֶיךָ, אִישׁ יָדַע צִיד הוּא, אִישׁ שֶׁיָּדָע
הוּא, אִישׁ שֶׁיָּדָע, c. XXXVIII, 27, 28.

וְיָדָע אֵלֶיךָ, אִישׁ יָדַע צִיד הוּא, אִישׁ שֶׁיָּדָע
הוּא, אִישׁ שֶׁיָּדָע, c. XXXVIII, 27, 28.

וְיָדָע אֵלֶיךָ, אִישׁ יָדַע צִיד הוּא, אִישׁ שֶׁיָּדָע
הוּא, אִישׁ שֶׁיָּדָע, c. XXXVIII, 27, 28.

וְיָדָע אֵלֶיךָ, אִישׁ יָדַע צִיד הוּא, אִישׁ שֶׁיָּדָע
הוּא, אִישׁ שֶׁיָּדָע, c. XXXVIII, 27, 28.

וְיָדָע אֵלֶיךָ, אִישׁ יָדַע צִיד הוּא, אִישׁ שֶׁיָּדָע
הוּא, אִישׁ שֶׁיָּדָע, c. XXXVIII, 27, 28.

וְיָדָע אֵלֶיךָ, אִישׁ יָדַע צִיד הוּא, אִישׁ שֶׁיָּדָע
הוּא, אִישׁ שֶׁיָּדָע, c. XXXVIII, 27, 28.

וְיָדָע אֵלֶיךָ, אִישׁ יָדַע צִיד הוּא, אִישׁ שֶׁיָּדָע
הוּא, אִישׁ שֶׁיָּדָע, c. XXXVIII, 27, 28.

וְיָדָע אֵלֶיךָ, אִישׁ יָדַע צִיד הוּא, אִישׁ שֶׁיָּדָע
הוּא, אִישׁ שֶׁיָּדָע, c. XXXVIII, 27, 28.

וְיָדָע אֵלֶיךָ, אִישׁ יָדַע צִיד הוּא, אִישׁ שֶׁיָּדָע
הוּא, אִישׁ שֶׁיָּדָע, c. XXXVIII, 27, 28.

וְיָדָע אֵלֶיךָ, אִישׁ יָדַע צִיד הוּא, אִישׁ שֶׁיָּדָע
הוּא, אִישׁ שֶׁיָּדָע, c. XXXVIII, 27, 28.

וְיָדָע אֵלֶיךָ, אִישׁ יָדַע צִיד הוּא, אִישׁ שֶׁיָּדָע
הוּא, אִישׁ שֶׁיָּדָע, c. XXXVIII, 27, 28.

tis, indulgentior esset, factum est probabiliter, vt homo alioqui non malus, sed minus vigilans, non in scortationem folium, sed, quod horribilius in incestam scortationem prolaberetur, v. 13. seqq. Sic & posthac consuræ tempus in Republ. Ibraelitica festum atque solemne fuit. Hinc Davidis serui, ad Nabalem, cum hic oves suas in Carmelo tonderi curaret, missi i Sam. XXV, 2. sqq. dicunt, se venisse *die bono*, id est, hilari ac festo v. 8. & Nabal dicitur domi suæ adparasse conuiuium ad instar conuiuii regalis, animoque fuisse læto, vino ad extremum vsque inebriatus gradum v. 36.

s. XVIII. Vidimus hætenus studia Patriarcharum œconomica, seu quibus artibus Patriarchæ fuerint addicti. Inspiciamus porro animum illorum, ac finem, quem in gerenda œconomia sibi propositum habuerunt. Et heic quidem pulcherrimum œconomis exemplum præbent Patriarchæ, vt, qui re ipsa ostenderunt, se, vti ab auaritia & opum cupiditate, sic a sectandis vitæ huius commoditatibus & voluptatibus alienos fuisse. Loquuntur hoc & dicta illorum, & facta. Nam, verbi gratia, Abrahamus Sodomorum Regi, spolia a cæsis quatuor regibus reducta, quæ alius quisque cupide forte retinuisset, sibi concedere volenti, dummodo homines redderet, sublata versus cælum manu negauit, se quidquam illorum seruaturum sibi esse, ad filum vsque, vel calcei corrigiam, Gen. XIV, 23, 24. Idemque, cum sorte sua contentus adhuc fuisset, Deo mercedem multam pollicenti, quanquam demississimo animo, respondit: *DOMINE Deus, quid dabis mihi?* Gen. XV, 2. innuens, sibi opum iam fatis esse, nec maiores a se requiri, cum sobolem nullam habeat. Inprimis vero Iacobus, in Mesopotamiam fugiens propter fratrem, concepto voto illo: *Si Deus fuerit mecum - & dederit mihi PANEM ad comedendum, & VESTEM ad induendum, - - tum lapis, quem in statuam*

tuam erexi, eris domus Dei, cetera, Gen. XXVIII, 20. 21. 22. Plane vt Paulus præcepit i Tim. VI, 8. *Habentes ALIMENTA, & TEGVMENTA, his contenti erimus. Nam qui VOLVNT diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli, & desideria multa inepta, & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas argenti.* Et Hebr. XIII, 5. *Κατάγεινος ὁ πλεονεξίας, Sini mores sine auaritia, contenti sumus presentibus.* Item David Ps. LXII, 11. *Opes cum proueniunt, ne adponatis cor;* & pius Agur Prou. xxx, 8. 9. *Paupertatem ac diuitias ne dederis mihi: ciba me vero pane demensi mei,* cetera. Quæ propositiones a piis Patriarchis vita (vt vidimus) omnes expressæ sunt.

§. XIX. E contrario FINIS, quem Patriarchæ in re familiari curanda (siquidem ex praxi illorum iudicandum est) sibi proposuerunt, is fuit; I) *vt haberent, vnde pro œconomia temporum illorum, quibus vixerunt, sacra Deo facerent,* ad testificationem venerationis & cultus sui in sanctissimum Numen. Huc enim pertinet, non solum quod *victimâs crebras & munera* Deo obtulerunt; nempe Cainus (quanquam hic sine fide) de frugibus terræ, Abel vero de primogenitis pecudum suarum, earumque adipibus Gen. IV, 4. Noachus de omni iumento mundo, & de omni aue munda, c. VIII, 20. Iacobus salutaria sacrificia, quorum carnes ipse cum cognatis sacrificiali epulo absumsit c. xxxi, 54. itemque c. xlvj. i. & quod *altaria* hic illic struxerunt, Abrahamus c. xii, 7. c. xiii, 18. Isaac c. xxvi, 25. Iacobus c. xxxiii, 20. c. xxxv, 7. sed etiam, quod *decimas* Deo ac ministris eius consecrauerunt; Abrahamus quidem *de omnibus*, puta *spoliis*, quæ a cælis quatuor regibus reportauerat, (ita enim Epistola ad Hebr. VII, 4. discrete explicat, ἐκ τῶν ἀγροθίων) Iacobus vero *de omnibus, quæcunque Deus ipsi daturus esset*, Gen. xxviii, 22. II) *Vt sibi suisque de necessariis prospicerent.* Patet hoc, tum ex eo, quod

Finis Patriarchalis œconomia.

T Gen. XIV, 20.

quod Abrahamus, cum pro tempore liberos nullos haberet, & tamen facultatibus sufficienter instructus esset, plures non desideravit, dicens: *DOMINE Deus, quid dabis mihi, cum ego vadam sine liberis?* Gen. xv, 2. & quod idem adhuc vivens pellicum filiis dona, Isaac vero omnia sua dedit c. xxv, 5, 6. tum inprimis ex Jacobi oratione, qua dimitti ab socero suo postulat, sub ratione, quod fideliter & fructuose serviuerit ei, æquum vero sit, ut suæ quoque familiæ tandem prospiciat, propriam instituendo œconomiam. *Et nunc*, inquit, *מתי אעשר גם אנכי לביתי*, quando parabo, id est, opum aliquid adquiram, etiam ego domui meæ? Rati sunt nempe, id quod res est, & quod etiam Paulus inculcat 1 Tim. V, 8. *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem abnegavit, & est infideli deterior.* Quamvis enim Paulinum hoc in contextu orationis proprie de liberorum cura erga parentes agat, tamen non videmus, quidni ad parentum curam erga liberos pariter adcommo- dari queat: inprimis cum hæc naturalior adhuc sit, ac adeo, qui liberis suis non prospicit (absit modo avaritia, absit quoque ἀπιστία) multo magis dici possit infideli peior. T III) *Vi haberent*, unde a-

† Id quod Paulus 2 Cor. xii, 14. *οὐκ ἐστὶν ἀξίωμα: ἡ γὰρ ὀφείλη τὰ τέ-
κνα τοῦ γορυῶντι ἰσθαυροῦν, ἀπὸ
οὗ γορευῶν τοῦ τέκνου. Interim
sicut ὀφείληται πατρὶν ἐστὶν, κοπιῶν
ἐν τῷ ἐκτρέφειν, ἵνα ἐν ἑαυτῷ
μὴ ἐπιμῶν ἑαυτῷ. Gen. viii, 3.
לא על הלחם לבדו יחיה האדם
כי על כל גוצת פיה יחיה האדם
sic pariter parentum est ἰσθαυρῶν
ἐκτρέφειν τοῦ τέκνου, ἵνα ἐν
ἑαυτῷ μὴ ἐπιμῶν ἑαυτῷ.*

lis benefacerent; siue id fieret succurrendo pauperibus, ægrotis, viduis, orphanis; quemadmodum contra hæc fuit culpa Sodomitarum, coæuorum, quod manum miseri & pau- peris non confortassent, Ezech. xvi, 49. siue hospitando peregrinis; cuius rei laudabile inprimis exemplum reliquerunt Abrahamus c. xviii, 2. seqq. & Lotus c. xix, 1. seqq. Vnde Hebr. xiii, 2. *Hospitalitatis*, inquit Apostolus, nolite excipientes, seu, ut Syrus reddidit, per hanc enim meruerunt quidam, quamvis non sentientes, qui exciperent angelos. Quibus verbis dubium non est, quin ad patriarchalia illa Abrahami & Loti exempla modo adducta respectum fuerit. Denique IV) *vi submitterent se ordini divinitus constituto*,

Gen. 7. Sic Ep. IV, 28. *ἡ ἀλλοτρία δὲ νομιῶν, ἐκπαύμενος τὸ
ἀλλοτρίως τὰς ἑαυτῶν, ἵνα ἕξη μεταδιδόται τῷ ἑαυτῶν
ἑαυτῶν.*

Gen. III, 19. *In sudore vultus tui comedes panem.* Hinc pius Lamechus, cum aliis sui similibus, licet gravitatem laboris ex immissa terræ maledictione senserit, & solatium ali- quod sibi propter eam expetierit, tamen patienter eam tulit, *Hic, inquit, consolabimur nos ab opere nostro, & a dolore manuum nostrarum, propter terram, cui maledixit Dominus, Gen. V, 29.*

§. XX. Quemadmodum autem Patriarchæ illi, quorum pietas in Genesi laudatur, ab avaritia, sic & a malis adquirendi modis & artibus abhorruerunt, homines integri ac sine dolo: quo nomine inter Cananitas ipsos enituerunt. Nam v. g. Chamor ac Sichem filius eius, ciuibus suis persuasuri, ut Iacobum cum familia ipsius in vnam secum civitatem convenire paterentur, hoc maxime argumento vsi sunt: *Viri hi אֲנָרֵינוּ אֲנָרֵינוּ שְׁלֵמִים* integri sumi nobiscum, id est, tales eos, dum apud nos fuerunt, hucusque cognovimus, & experti sumus, Gen. xxxiv, 21. Poterat quidem Iacobus videri per obliquas artes ad rem faciendam grassatus esse; primo, quod primogenituræ iura pro lentium pulmento ab Esauo fratre in se transtulit c. xxv, 31. seqq. deinde, quod astu benedictionem & vota paterna ei præripuit; quorum tum hoc, tum illud gravis querimonix ansam Esauo præbuit c. xxvii, 36. tum vero, quod modum inuenit, quo & plures & vegetiores pecudes in mercedem acciperet, c. xxx, 37. seqq. ægre hoc ferente foecero, qui proin pactam Iacobo mercedem vel decies mutavit c. xxxi, 7. Saltem, quasi iniuriam ab Iacobo passi essent, tum filii Labanis quiritati sunt, c. xxxi, 1. tum Laban ipse facie immutata ac torua prodidit v. 2. Ac fatendum est, aliqua in his reperiri, quæ, si rigide examinentur, non nisi difficulter cum sinceritate conciliari posse videantur. Nam v. g. Iacobus modum istum fratri benedictionem paternam surripiendi, a matre sibi suggestum, ipse horruit c. xxvii, 11. 12. 13. nec dissitetur filii astum Isaacus pater, *Venit, Esauo inquit, frater tuus*

F

Patriarchæ a malis adquirendi modis & artibus abhorruerunt.

Alij exponunt, pacifici; qd. est donominatum a פָּאָקִים. Ap' Nabh. i. 12. significat pacifice integros, sic uti, moraliter; integri sunt etiam pacifici: nomen significatio mater necessitatem non est restringenda.

astu, seu dolo, & abstulit benedictionem tuam, v. 35. Et videri possit Iacobus, salua eius pietate, in modo obtinenda primogenitura & benedictionis, humani quid passus esse, in quo imbecillitatis humanae potius, quam virtutis exemplum sit. Absit tamen a nobis, vt ideo, quod singulares harum actionum circumstantias non capimus, (habent enim saepe heroica exempla, quae non tam imitanda, quam admiranda sunt) piissimum Patriarcham, a Spiritu S. ipso laude hac, quod fuerit **יִשְׂרָאֵל** VIR INTEGR, maestatum Gen. xxv, 27. accusationibus aut suspicionibus grauemus: imprimis, cum eos in historia emtae primogeniturae, & praerepta benedictionis paternae, nutus reperiamus, qui mitius iudicium de Iacobo nobis imperent; v. g. quod iura haec & priuilegia Iacobo nondum nato diuinitus iam destinata fuerint c. XXV, 23, quod mater, sicut ipsa nullam in causa vindicandae benedictionis extimuerit culpam, ita Iacobum parentali auctoritate instimulauerit, mandato suo adegerit, & securum a metu esse iusserit c. XXVII, 7--13. Quod autem ad artificium illud Iacobi adinet, agunt de illo SAM. BOCHAR TVS Hieroz. P. I. c. XL. col. 544. & MATT. HILLERVS Hierophyt. P. I. p. 23. vbi & quærentes, an licitum fuerit, quæstionem adfirmant. Omnino reputari in hac causa debet, quod Iacobus ceteroqui fideliter Labani seruiit, sicuti ante adhibitum hoc artificium, coll. c. xxx, 26 vbi ad ipsius focii conscientiam prouocans, *Tu ipse nouisti*, inquit, *seruitium meum, quale seruiuerim tibi*, itemque v. 29. *Tu nouisti, quomodo seruiuerim tibi, & quale fuerit pecus tuum mecum: quoniam exiguum erat, quod habebas ante me, nunc vero erupit in multitudinem, benedixitque tibi DOMINVS & sub ductu meo*; ita quoque postmodum, coll. c. XXXI, 6. vbi vxoribus suis, focii iniqui filiabus, *Vos ipse*, inquit, *nouistis, quod omnibus viribus patri vestro seruiuerim*: adeo vt dolus malus de eo praesumi non debeat. Deinde vero artificium illud angelum Dei increatum, id est,

est, Filium Dei ipsum, si non auctorem, certe adprobato-
rem habuit, coll. v. 10--13. vnde actus, qui alias illicitus po-
tuisset esse, eo magis culpa vacauit, cum quod contra ho-
minem fraudulentum atque iniquum, tum quod monitu
ipfius Dei exerceretur, qui, quemadmodum BOCHAR-
TUS l. c. obseruat, „partem opum, quas Laban ex Iacobi
„labore comparauerat, in Iacobum iuste transtulit, quo-
„modo vasa Aegyptiorum voluit ab Israelitis auferri, in
„durissimæ seruitutis mercedem, ingratu dominis absque
„ullo stipendio per multos annos exhibitæ. Denique fœ-
tura illa ouium admirabilis non fuit solius artis opus, sed
virtutis Dei, qui naturali medio extraordinarie benedixit,
Iacobo ipso id agnoscente ac prædicante. Nam c. xxxi,
5. *Deus patris mei, inquit, adfuit mihi; & v. 7. 8. Deus non
fuit Labanem cum effectu male mecum agere. Proinde cum
sic dicebat, Punctate erunt merces tua, vniuerse pecudes pa-
riebant punctatas; sin ita diceret, cruribus resperse erunt mer-
ces tua, vniuersæ pecudes pariebant cruribus resperfas. Eri-
puitque Deus pecus patris vestri, & dedit mihi.*

§. XXI. Porro ex modo dictis liquet, Patriarchas, Effectus la-
borum suo-
borum suo-
rum a bene-
dictionem
Dei recule-
runt.
quantumcunque laboriosi fuerint, & in sudore vultus pa-
nem suum comederint, adeo vt Iacobus vxoribus suis in
illa ipsa causa, quæ ei cum patre ipsarum intercedebat, di-
xerit: *Seruiui patri vestro omnibus viribus meis, item, inter-
diu consumpsit me æstus, & frigus noctu, fugitque somnus ab
oculis mei.* Gen. XXXI, 6. 40. tamen effectus successusque
operarum non laboribus suis atque sudoribus, sed fauori
& benedictioni diuinæ in solidum attribuisse. Nec enim
ita egerunt, vti Babyloniorum rex, suis se successibus, qua-
si proprio labore, studio, & sapientia partis, efferens, de
quo Hab. 1, 16. prouerbiali locutione dicitur: *Sacrificat sa-
gene sue, & suffurum facit reti suo: quoniam, secundum i-
pfius eisdem opinionem, per illa pinguis est portio eius, &
cibus eius est optimus.* Sed vt benedictionem Dei in omni-
bus

*Non sacrificia obtulerunt de frumē
si et pecoris primitiis, ut hac ratio
ne bona illa tanquam diuinitus data
agnoscere se profiterentur. Sicut la-
cob pollicebatur decimas de omnibus,
quæ sibi daturæ essent.*

bus negotiis suis ipsi experiri sunt, piaque mente celebra-
runt; sic suos, ut idem facerent, instituerunt. Quo per-
tinet, quod Abel de primogenitis pecudum suarum victimas Deo obtulit, Genes. IV, 3. 4. ut hoc modo non fidem
solum suam in venturum Messiam testaretur, sed etiam gra-
tiam animi indicio, greges suos Deo acceptos ferret; & quod
Abrahamus Gen. XIV, 23, negavit, spoliatorum, quæ a Regi-
bus reducerat, quæque Sodomorum rex ei ultro conce-
dere voluerat, se quidquam retenturum esse; ut ne is dicere
posset, ego dixi Abrahamum; utpote quam gloriam Deo
integram seruaturus erat. Sic patriensis Abrahami, heri sui
opes Charanensibus laudaturus, eas ad verum fontem re-
ducit c. XXIV, 35. **DOMINVS**, inquit, *hero meo benedi-
xit maiorem in modum, ita ut magnus factus sit; deditque
ei pecudes, armentum, cetera.* Isaacus item, ut cumulatis-
simam Dei benedictionem in messe, centuplicem ferente
prouentum, expertus est c. XXVI, 12. sic filio benedicturus
c. XXVII, 27. 28. *Ecce, inquit, odor filii mei est sicut odor a-
gri; CUI BENEDIXIT DOMINVS.* Ac merito quidem
terræ fecunditatem a Deo ceu causa prima repetiit, quia
secundæ causæ fecundationis, ut sunt imbres, ros, nix,
commodæ tempestates, a Deo omnes pendunt ac diriguntur.
Vnde ibidem pius Patriarcha mox subdit v. 28. *Dei
tibi Deus de rore calorum, & pinguis loca terræ, copiamque
frumenti & musti.* Quocum effato conferri meretur vox
promissionis diuinæ Hof. II, 21. 22. *Exaudiam celos, & illi
exaudient terram: terra vero exaudiet frumentum, mustum
& oleum; & hæc denique Ierusalem exaudient.* Vide &
HILLERVM in Hierophyt. P. II. p. 103. vbi Hofeana ista
verba ex B. GLASSIO egregie explicat. Denique Iacobus
eandem pietatem erga sanctissimum Numen ostendit.
Qui, licet artificio prædicto vsus esset, tamen prædicat, se,
nisi Deus patris sui, Deus Abrahami, & Numen Isaaci, ad-
fuisse sibi, vno iclu rem perditurum omnem, vacuumque
dimit-

4 dimittendum fuisse, Gen. xxxi, 2. Idemque c. xxxii, ii. de-
mississime agnoscit diuinæ erga se benignitatis magnitudi-
nem; quod, cum olim Iordanem non nisi baculo instructus
suo traiecerit, tum sibi relegere eum contigerit, duobus in-
structo hominum pecorumque agminibus.

§. XXII. Cum igitur Patriarchæ non solum labores
sedulo obierint, sed, quod præstabilius est, laborum fru-
ctum omnium fructum a diuino fauore expectauerint; quid
mirum, si cumulatifsimam Dei benedictionem in se deriu-
arunt? Sic Abrahamo benedixit Deus in omnibus, teste
Mose Gen. XXIV, 1. & prædicante id pio eius seruo Elie-
zere v. 35. Post mortem vero Abrahami, quæ luctuosa I-
saaco haud dubie fuit, tamen superuixit veluti benedictio
Dei, in Isaacum cumulate effusa c. XXV, 11. ita vt centu-
plici augetur proventu c. XXVI, 12. videntibus & tantum
non palpantibus ipsis Philistæis, qui c. XXVI, 28. dicebant
ei: *Videndo vidimus, adfuisse DOMINVM tibi,* & v. 29. *Tu
nunc es Benedictus DOMINI.* Idem, propitius Deus ad-
fuit Iacobo c. XXXI, 5. 42. adfuit item Iosepho, vt esset vir
prosperè agens c. XXXIX, 2. & ipse herus eius Aegyptius
videret, *omnia, quæ ageret, a DOMINO prosperari* v. 3.
Sic igitur comprobatum in eis fuit, cum quod Salomo di-
xit Prou. X, 22. *BENEDICTIO DOMINI, ILLA,* in-
quam, *ditat, nec addit dolorem* Dominus cum illa, tum ar-
gumentum totius Psalmi CXXVIII. *O beatitudines omnis ti-
mentis Dominum, ambulantis in viis eius!* cetera: adeo vt,
si exemplis ex historia antiqua depromptis vtrumque dictum
illustrandum esset, aptiora quam patriarcharum vix vlla
suppeterent. Id vero eo vsque valet, vt, cum diluuium
orbi immittendum esset, Noachus solus cum familia eua-
ferit; cumque Sodomorum excidium a Deo decretum fu-
isset, Deus, Abrahami memor, non nisi Lotum cum suis e-
duxerit; & cum dira fames ingrueret, diuina prouidentia
Abrahamo, Isaacum atque Iacobo, cum familiis eorum, sin-

Benedictio-
nem Dei cu-
mulatissi-
mam in se
deriuarunt.

T. Valet nemo hic quog.
illud: habenti dabitur. Nempe quia
benedictioni diuina omnia sua tri-
buerunt, pro benedictionem uberti-
mam consecuti sunt.

Nempe seruos et benedictio in plagis
epidemicis quog. erant.

gulariter prospexerit: ac adeo piis Patriarchis euenit, quod Pf. XXXVII, 19. tanquam fidelium celebratur priuilegium, **NON PVDEFIENT INTEGRI TEMPORE MALI, ET IN DIEBUS FAMIS SATVRA BVNTR.**

Generalis opum patri- archalium designatio.

§. XXIII. Opes ipsas Patriarcharum vt explicemus, series tractationis nostræ nunc exigit. Prius autem, quam singulatim eas describamus, iuuabit generalem illarum ex Genesi dare designationem. Variæ vtique fuerunt, prout nos docet Moses Gen. XXIV. 1. vbi **D O M I N V M** benedixisse scribit *Abrahamo* **יְהוָה** IN O M N I B V S, hoc est, omnis, saltem multiplicis generis benedictionibus. Nominatim vero **ABRAHAMVS** ac **LOTVS**, Charane, seu Caris Mesopotamiæ, vbi cum patre & auo Theracho, post exitum ex Vra Chaldæorum, aliquamdiu commorati erant, *pecuarias opes & personas seruorum seruorumque iam comparauerunt sibi*: quas inde in Cananæam pergentes secum postea transtulere, Gen. XII, 5. Creuerunt vero vtrique, & Abrahamo inprimis, opes hæ in Aegypto, vbi propter incumbentem Cananææ famem per aliquod tempus peregrinati sunt, Pharaone indulgente, maiorem in modum: adeo vt essent Abrahamo *pecus & armentum, & asini, serui item seruæque, asine & cameli* magno numero, c. XII, 16. indeque in Cananæam reuerteretur *grauis*, id est, opulentus valde *pecore, argento & auro*, c. XIII, 2. quin & Lotus, quem itineris & peregrinationis habuerat socium, possideret *pecus, & armentum, & ventoria*, pastoricia puta, v. 5. Vnde factum, vt Bethelensis ager, in quo tetenderant, ambos non ferret ad habitandum vna, v. 6. Porro ex Abimelechi Philistæorum regis donatione Abrahamus *pecore & armento, seruis atque ancillis*, quin & pecuniis (dono enim ab illo accepit, in gratiam Sare vxoris suæ, *mille siclos argenti*) auctus est, c. XX, 14. 15. 16. Et, quod multo maius, **benedixit ei D O M I N V S** valde, deditque ei *pecus & ar-*

Sic enim malo, quam quod aliud de profelytis explicauerant. Anima n. mo hominodq; inprimis seruis, ve niant; d. cere vero pro adquirere. Contra facere pro conuertere nus. piam reperio, 2) cur voluit dnt profelytos Carane in Cananæam, & hereditandæ promissio Abra hamo soti data erat, Pecum da cere?

mentum, argentum & aurum, seruos & seruas, camelos & asinos, c. XXIV, 35. adeo vt Chettæi Hebronenfes, iuxta quos degebat, eum haud aliter quam vt principem Dei fufpicerent c. XXIII, 6. Sed & ISAACVS fingulari benedictione diuina magnus factus eft, & eius magnitudinis fua noua in dies incrementa cepit, donec magnus factus effet valde, vt pote cui fuit pecus atque armentum, & עבדו רבו familia feruorum copiofa c. XXVI, 12. 13. 14. Denique IACOBVS erupit diuitiis maiorem in modum, vt effent ei pecudes multe, itemque ancille & ferui, cameli & afini c. XXX, 43. vna cum armento c. XXXI, 6. Cumque ESAVVS non minus polleret facultatibus, hinc, vt locum Iacobo faceret, Cananæa cedens, cum vxoribus, liberis, feruis, ancillis, pecore, iumentis, ac vniuerfis opibus fuis, in Seiritidem, quæ postmodum Idumæa eft dicta, fe contulit: quia ampliores erant facultates eorum, quam vt habitare poffent vna; nec fufstinebar eos terra, in qua peregrinabantur, propter pecora ipforum, c. XXXVI, 6. 7. 8. Quodfi igitur ex locis modo adlegatis fumma patriarchalium opum, ac illarum inprimis, quas Abrahamus, Ifaacus & Iacobus tenuerunt, fubducatur, in eis quidem nihil propemodum reperies bonorum, quæ foleo continentur, quæque apud nos immobilium nomine venire folent, vt funt ædes, agri, fundi. Cuius rei ratio eft, quod Patriarchæ ifti fuo tempore in Cananæa fuerunt עבדו רבו peregrini tantum & inquilini, Gen. XXIII, 3. Hincne domos quidem habuerunt, fixas pura, ac ftabiles, fed tentoria, quæ peregrinantium ritu de loco ad locum mouere poffent; quemadmodum poft hæc ostendemus pluribus: fundos vero proprios vel nullos, vel admodum tenues poffederunt. Nam Abrahamus agrum, in quo erat spelunca Machpela, non nifi poft mortem coniugis fua Saræ, nec eo fine, vt coleret, fed feputuræ cauffa, a Chettæis emit Gen. XXIII, 17. Hunc agrum vero vix tanti fuiffe, vt

non agricultura, coll. p. 13. 17.
lexuberans

vt pote quem ex Hebræis tandem re-
uerfuriim ee facile percipiebatur.

Nec obftat loqu de Iacobo Gen. XXXIII
17. & domus fuit inde et exem-
plare oppi, quia inuenire nondum
penitit ad terminum fucum perducto
ædificata, et aliquanto poft ab
Iacobo die man perueniente riuus
derelicta v. 18.



in reliquis Abrahami diuitiis in censum aliquem veniret. id venditor Ephron innuit, dicens: *Terra, quadringentos siclos valens, quid inter me & te est?* v. 15. Quam vero Iacobus *agri portionem* prope Sichemum a Chamori filiiis emit, ea nec ipsa videretur alium in finem comparata fuisse, nisi vt tentorium eius illic figeretur: constititque modico (vt verisimile est) pretio, hoc est, *centum tantum Kestis c. XXXIII, 19.* quanquam fatendum sit, huius nummi valorem nobis hodie non satis esse notum; quin, quod genus monetæ nobis est, ab aliis explicari de *agnis*, aut de *margaritis*. Quidquid autem patriarchalium opum commemoratur, siue allegatis in locis, siue alibi, vbi illarum mentio incidit, id vel *argento & auro* continetur, vel *frumento ac musto*, Gen. XXVII, 28. vel *arborariis prouentibus*, v. g. צרי *resina* pretiosa ac medica, כש לב *melle*, דאקלור *styrace*, vti BOCHARTVS explicavit, לב *stacte*, secundum alios *ladano*, כשנים *pistacii*, atque שקרים *amygdalis*, Gen. XLIII, 11. vel *tentoriis*, vel *vestibus*, vel *seruorum & seruuarum personis*, vel *volucris*, vel *denique pecoribus*.

¶ At Gen. XLVIII, 22. Iacob memorat portionem terræ, quam arcu suo et Radio ex manu Amoræorum cepit. Sed vide a nobis dicta p. 53.

¶ Quia inter alios arborum prouentus commemorat, וצמר אפרים, i. e. de fructibus *pecens carptis*; וצמר אפרים, i. e. *mel huius & dactylis flavis*.

In describendis opibus patriarchalibus, apum, gallinarum, anserum, anatiumque nullarum, columbarum vero tantum incidens mentio. Hieros. Deut. 8, וצמר אפרים, i. e. *apum*, וצמר אפרים, i. e. *gallinarum*, וצמר אפרים, i. e. *anserum*, וצמר אפרים, i. e. *anatumque nullarum*, וצמר אפרים, i. e. *columbarum*, וצמר אפרים, i. e. *tantum incidens mentio*. Deest obiectum, de quo primitiæ Deo sac. faciem ritualem erant danda = Pat. XXXI, s. atqui non mel apum, d. arborarij prouentus fuerant obiectum primitiarum.

§. XXIV. Ac de *argento* quidem & *auro*, *frumento ac musto*, & de *arborariis prouentibus*, nihil est, quod moneamus insuper: de *tentoriis* vero, atque *vestibus*, itemque de *seruis & seruabus*, infra dicendi occasio erit. Quod igitur ad *volucres* attinet, mirum videri posset, apum mellificarum nullam omnino, altilium vero, seu cohortalium *auium* tantum in transitu mentionem facere patriarchalem historiam; videlicet *columbe*, vbi describitur diluuium Gen. VIII, 8-12. *tururum* vero, ac *pullorum columbinorum*, in sacrificio Abrahami, Gen. XV, 9. De *gallinis*, *anseribus*, *anatibus*, altum est silentium: adeo vt auium hæc genera Hebræis ex toto Codice sacro ne nomine quidem nota sint. BOCHARTVS certe Hieroz. P. II. lib. I. c. 16. „Non satis scitur, inquit, quomodo Hebræi veteres *gallum* „ad-

adpellauerint. Quanquam ad gallinaceum genus inter-
 pretes multa Prophetarum loca referant, sed coniecturis
 non satis certis, vt ea percurrenti constabit. Et tamen
 columbarum quoque possessio non abhorret a cura boni
 rustici, & gallinæ pariter ac aliæ istiusmodi alites focum
 mensamque familiarum pretiosis dapibus opulentant. Verum
 de *apibus* quod filetur in descriptione œconomix Patriar-
 charum, hæc forte ratio subfuerit: quod, cum siluestrium
 apum copia in Palæstina ingens sit, quæ nidos in arbori-
 bus ponentes mellificant, adeo vt mel inde aliquando in
 terre superficiem copiose defluat, 1 Sam. XIV, 25. 26. 27.
 Patriarchæ apum examina, vt apud nos fieri ab œconomis
 solet, colligere, & collecta alere opus non habuerint. *Co-*
lumbas vero domesticas sustentare, Patriarchis, Abraha-
 mo, Isaac, Iacobo, eo quod per Cananæam huc illuc in-
 stabili sede oberrarent, forte vix licuit: & vero copiam
 columbarum nihilominus habere potuerunt; quia in Pa-
 læstina passim agrestes sunt, atque in fossis vallibusque, &
 in fissuris petrarum ac montibus nidulantur, Ier. XLVIII,
 28. Ezech. VII, 16. & Cant. II, 14. Confer hæc de re BO-
 CHARTVM Hieroz. P. II, lib. I, cap. 3. Et hic tamen ibi-
 dem cap. I dubitat, an æuo Abrahami *columbe*, quibus an-
 tiquissimam a diluio sedem assignat Græciam, in Syria &
 Palæstina iam fuerint, cum גורל *pullus*, cuius mentio Gen.
 XV, 9. fiat, etiam *turturis pullum*, ex ipsius sententia, de-
 notare queat: nostro quidem iudicio minus bene, in pri-
 mis, cum loco citato גורל *pullus* (columbinus) a *turturibus*
 æque, ac *iuuenca, capra, & aries*, quæ specie differunt, di-
 stinctus esse videatur, & in ceremoniali lege Leu. I, 14. c.
 V, 7. alibique passim, vbi sacrificiales aues describuntur, hæ
 duæ species תור *turtur*, & בן יונה *pullus columbinus* (cui
 in Abrahami sacrificio גורל *pullus* respondet) coordinen-
 tur. Porro *gallinas*, & rusticas maxime, in Palæstina ra-
 riores fuisse, credibile est. Certe in Dominica passionis
 G histo-

Foculus o.
 per Patriar.
 gen. munda
 quous
 xru.
 ov de lav
 turturibus
 ha
 mub
 au ha lav
 ov muband
 muband
 upiarh lev
 ov eorge ha
 abnal

Foculus o.
 per Patriar.
 gen. munda
 quous
 xru.
 ov de lav
 turturibus
 ha
 mub
 au ha lav
 ov muband
 muband
 upiarh lev
 ov eorge ha
 abnal

Foculus o.
 per Patriar.
 gen. munda
 quous
 xru.
 ov de lav
 turturibus
 ha
 mub
 au ha lav
 ov muband
 muband
 upiarh lev
 ov eorge ha
 abnal



historia Matth. XXVI, 34. quidam mirati sunt inueniri gal-
lum gallinaceum, cum ex placitis Talmudicorum docto-
rum (qui tamen falsam, vt videtur, causam a sacris arcessi-
verunt) nullos Hierosolymitani gallos alere consueverint.
Vide IO. LIGHTFOOTI *Horas Hebr.* in locum allegat-
tum. Ex quo, si ab Iudæorum commentis & supposititiis
causis abstineamus, hoc saltem confici videtur, Hierosoly-
mæ gallinaceum genus, non quidem nullum, rarum tamen
fuisse. Sed nec *anserum* anaumque in Patriarcharum hi-
storia vlla mentio fit. Credo, quia *anser* neque sine aqua,
nec sine multa herba facile sustinetur, vti ex vero iudicat
CELSVS, probante id COLVMELLA lib. VIII. de
re rust. c. 13. qui & c. 14. *Sine isto*, inquit, *presidio* stagno-
rum, lacuum, piscinarumque, non magis, quam sine terreno
recte queunt vivere anseres. Idem de *anatibus* sentien-
dum. Atqui aquæ, vt supra (§. XV.) ostendimus, in Pale-
stina, & in australi eius parte maxime, parciore, quam in
nostris sunt regionibus. Quid mirum igitur, si aues istæ
illic sint rare, indeque illarum in toto Codice Hebræo men-
tio nulla profus?

Pecuarie o-
pes Patriar-
charum præ-
cipue fue-
runt, exque
vel ad ve-
scendum, vel
ad vesti-
endum corpus,
vel ad tra-
hendum, ve-
hendumque,
vel denique
ad agros co-
lendos.

§. XXV. At pecuarie possessiones principem in Patri-
archarum œconomia tenuere locum: vnde & factum, vt
Hebræis simpliciter nomine מקנה, קנין & רכוש *possessio-*
nis seu *acquisitionis* sæpenumero veniant; plane vt CO-
LVMELLA Præfat. lib. VII. conicit, *Nomina Pecunie &*
Peculii tracta videri a Pecore, quod non solum veteres posse-
derint, sed adhuc apud quasdam gentes vnum surpetur diui-
tiarum genus. Et pecora quidem alia fuerunt ad *vescen-*
dum; alia ad *vestiendum* corpus; alia ad *trahendum* *veben-*
dumque; alia denique ad *agros colendos*. Primo igitur ad
VESCENDVM vtilis fuere *has, onis, capra,* ceu *animantia*
munda, Gen. VII, 2. ex quo loco BOGHARTVS *Hie-*
roz. P. I. lib. I. c. 2. non abs re colligit, *distinctionis animan-*
tium in munda & immunda usum non fuisse modo ante
Legem,

Alia plura (sunt, vel i) varia sacrificio-
rum species; 2) decimatio, siue spo-
liorum siue honorum; 3) Sabbatum;
4) Circumcisio

X Legem, sed & ante diluuium. Vnde ratio dari simul potest, cur, cum Patriarchæ armenti, pecorisque ouilli & capri ni amplos aluerint greges, tamen de luis in illorum historia sit altum silentium? Videlicet, quoniam Patriarchæ ab illarum esu iam ante Legem probabiliter abstinerunt. Id vero etiam inde colligi potest, quod ex Orientalibus populis alii quoque præter Hebræos porcorum vsu sibi interdixerunt; nempe *Arabes, Phœnices, Aegyptii, Aethiopes, Indi*: de quibus omnibus id, quod diximus, veterum Historicorum testimoniis solide probatum dedit BOCHAR- TVSHieroz. P. I. lib. II. cap. 57. Quapropter, cum fues Patriarchis non fuerint ad esum, & verò alium vsam nullum, quamdiu viuunt, præsent, sicut cetera animantia, quæ vel sedendi vehiculum præbent, vel in cultibus agrorum iuant, vel plaustra collo trahunt, vel onera tergo gestant; vel indumentum exuuiis suis exhibent, vel copia lactis exuberant; igitur non erat, vt alerentur a Patriarchis. Nec vero vaccarum, ouium caprarumque carnes solum, sed etiam lac, & quæ parantur ex eo, butyrum & casei, cibum Patriarchis præbuerunt: ac adeo tria ista pecoris genera in præcipuo cultu pretioque ab illis habita. Secundo ad VESTIENDVM corpus deseruierunt inprimis oues & capræ. De illis Salomo Prou. XXVII, 26. *Oues, inquit, erunt in vestitum tuam.* Sed nec capras eo in genere spernendas esse, quamuis earum lana apud Latinos in prouerbiu de re nauici fere abierit; id vel ex structura Tabernaculi Mosai- ci, cuius alterum tegumentum *cortinis* e pilo *caprarum* constitit, cognoscere licet, Exod. XXVII. 7. c. XXXV, 26. Eas ad ouium instar variis in regionibus tonderi, & ex earum villis cilicia, tentoria, nauticaque velamina confieri, BO- CHARTVS, quem in argumento de animalibus sacris vt principem honoris causa sæpius nominamus, pluribus ostendit Hieroz. P. I. lib. II. cap. 51. Tertio ad TRAHENDVM currus, aut ad VEHENDVM comparati fuerunt hæves, asinus.

asinum, camelum. Et boves quidem plaustris trahendis in Oriente adhibitos, docent loca Biblica Num. VII, 3. 7. 8. 1 Sam. VI, 7. 2 Sam. VI, 3. 6. sed & onera gestasse, colligimus ex 1 Par. XII, 40. *Panem adferebant in asinus, & camelis, & mulis, & BOVIBVS.* Ad quem locum BOCHARTVS Hieroz. P. I. lib. II. cap. 32. confert, quod AELIANVS *Hist.* lib. VII. c. 4. tauros ait feretro se submittere, & puerum aut puellam ceruice, dorso mulierem gestare. Et *Phile* cap. 46.

Παργουησων η βος, και νομίζει φορτια.

Perutilis res est bos, & onera etiam gerit.

De *asinis* res in propatulo est. Nam primo ad ferendum onera eos Patriarchis inferuisse, patet ex Gen. XLII, 26. vbi frumentum, & c. XLV, 23. vbi Aegypti optima quæque, & cibos in viaticum portant. Deinde *asinis*, non plebeios solum, vt hodie, sed & nobilissimos quosque vectos esse, BOCHARTVS loc. cit. cap. 13. cum ex aliis exemplis, facris atque profanis, tum ex Abrahami historia Gen. XXII, 3. demonstrauit. *Cameli* item, in itineribus faciendis commodissimi, tum homines vectant, tum sarcinas: vt in historia Rebeckæ, cum eam atriensis Abrahami sponfam Isaac expetiturus esset, & adduceret, Gen. XXIV, 10. 61. in fuga Iacobi ex Mesopotamia c. XXXI, 17. & in mercatorio illo Ismaelitarum, merces e Gileaditide in Aegyptum deferentium, itinere, c. XXXVII, 25. Animal inediae, sitis, ac diuturni cursus patientissimum, magnisque itineribus in calidior climate conficiendis aptissimum: ac adeo ex præcipuis Orientalium diuitiis. LEO AFRICANVS lib. IX. *Ex iis* (de camelis loquitur) Arabes suas diuitias ac possessiones aestimant: & si quando de diuitiis Principis aut Nobilis cuiusquam sermo fiat, possidere eum aiunt tot camelorum, non aureorum millia. Denique quarto AGRICVLTVRAE ministrauerunt *bos & asinus*: qui iccirco Esa. XXX, 24. vocantur עברי הארמוך *colentes terram*, seu, focii hominum in rustico opere: vnde & hi, qui in exercenda Dei agri-

agricultura, hoc est, in colenda ecclesia, ipsius summi Coloni velut cooperarii sunt, ab eodem Propheta nominantur השור והחמור משלחי דגל Impellentes pedem bouis & asini, Esa. XXXII, 20. Vtiles autem ambo fuerunt agricolis ad arandum, bos vero etiam ad tritrandum, coll. Deut. XXV, 4. 1 Reg. XIX, 19. Iob. I, 14. & quod VARRO de rust. lib. II. c. 6. de asinis tradit: *Plerique deducuntur ad molas, aut ad agriculturam, ubi quid vehendum est, aut etiam ad arandum, ubi leuis est terra, ut in Campania.* Vtuit tamen Mosaica lex Deut. XXII, 10. bouem & asinum in arando iungere, ob imparitatem, ut videtur, virium. Ceterum heic rursus mirari animum subierit, cur in patriarchalibus opibus, & in pecuariis possessionibus imprimis, equi, quorum tamen in regionibus nostris ad rustica opera eximius plane vsus est, nusquam commemorentur? Sed nimirum, equorum melior fere in Oriente, quam in Occidente nostro, fors est. Nam vel militiæ, vel illustrium personarum equitationi & vecturæ illic dicati sunt: rusticis vero laboribus vix adstringuntur. De bellatore equo, & fortitudine eius, agitur copiose Iob. XXXIX, 19. Patriarchæ vero sicut a splendore & pompa, ita a bellis gerendis alieni fuerunt; aut, si quando militiam facere necessum habuerunt, non equestris illa, sed pedestris fuit, ut Abrahami contra quatuor reges Gen. XIV, 14. filiorumque Iacobi contra Sichemitas c. XXXIV, 25. sqq. quam tamen pater maiorem in modum improbavit c. XLIX, 24. Quod vero Iacobus Gen. XLVIII, 22. Iosepho dicit: *Dedi tibi partem vnâ præ fratribus tuis, quam CEPI ex manu Amoræorum gladio meo, & arcu meo, id propheticum more intelligi debet pro Futuro CAPIAM;* nempe in posteris meis. Et conferri hic meretur, quod IOB. LV DOLFVS Hist. Aeth. lib. I. c. 10. n. 7. & 10. refert. Equi in Habessinia, inquit, non equitantur nisi in preliis, vel equestri decursu. -- Miserebatur GREGORIVM equorum nostrorum, cum illos videret

T dictum

Nec n. historie de præterito id capere licet, siue N) de Sichemo a Iacobi filijs capto, 1. quia id factum Iacoby vehementer improbanil, 2. Sichemum non Amoræorum, d. Chiuuorum oppidum fuit c. XXXIV, 2. siue I) de agro illo Sichemis vicino c. XXXIII, 19. & quia illam Iacoby non armis cepit, d. pro 100 Kesithis emil,

videret ingentia plaustra trahere, illorum patientiam, nostram vero inclementiam miratus; quasi bellicoso & nobili hoc animali ad labores serviles abuteremur.

§. XIX.

Sera Patriarcharum matrimonia, & ad prouidam Dei directionem relata.

§. XXVI. Cum autem Oeconomia sine matribus familiarum vix commode geratur, & vero honestam familie sustentationem pro fine habeat; igitur de CONIUGIIS Patriarcharum, itemque LIBERIS eorum, nunc porro nobis agendum erit. Ac primo quidem, quod TACITVS c. XX. de moribus Germanorum refert, *Sera iuuenum Venus, eoque inexhausta pubertas*, id ipsum quoque in vitis Patriarcharum, ad Iacobum vsque, vsu venit: utpote quod tabulae illorum genealogicae, quo anno liberis dare operam quisque coeperit exponentes, satis produunt. Videatur Gen. V. & XI. Sic, ut de antiquioribus iam nihil dicamus, quorum seriora multo matrimonia quam subsequendum fuerunt; Isaacus quadragenarius, Iacobus vero septuagesimum aetatis annum iam supergressus, demum ad coniugium adplicuerunt animus, Genes. xxv, 20. c. xxvii, 1. coll. c. xxviii, 5. & *Hist. Eccles. Goth.* p. 62. Quod sicuti iudicium castitatis & continentiae Patriarcharum fuit, ita quari potuerit, num & prudentia oeconomica forte causa subfuerit; ita, ut vxori & liberis operam ante dare noluerint, quam rem familiarem parauissent, vnde familiam alere possent? Certe ex Iudaeorum magistris aliqui hanc circumspeditionem, & cautelam in coniugio ineundo, ex illo Salomonis eliciunt, Prou. xxiv, 27. *Dispone foris* (hoc est, in agro) *opus tuum*, (agriculturae, puta, & rei pecuariae) & *para illud in agro tibi: postea & aedificato domum tuam*, ducta scilicet vxore, & procreatis liberis. Sed quemadmodum sensus illius dicti potius hic est, quod de necessariis prius, quam de ornamentis, homini cogitandum sit; ita dubitamus, an tarditas patriarcharum in ducendis vxoribus, ex consideratione illa, quam modo innuebamus, profluxerit; idque eo magis, quod Iacobus matrimonium pluribus annis

12

nis ante iniit, quam ad facultates sibi parandas animum adie-
 cisset Gen. xxx, 30. Quod vero ad Iacobi filios attinet, oportet
 illos, ac liberos eorum, admodum adolescentes vxores duxisse; uti HENR. AINSWORTH apud IO. CLERICVM
 ad Gen. xxxviii, 1. ex temporum rationibus ostendit: quem
 morem festinandi coniugii populus Iudaicus hodiernum
 seruat. Ceterum cum felix & exoptatum matrimonium
 non a propria hominis circumspectione & sapientia, nec a
 patrum, aliorumque siue cognatorum, siue amicorum, licet
 optime erga nos adfectorum, cura, sed præcipue a Deo, &
 prouida eius benignitate, pendeat; igitur Patriarcharum fi-
 des ac pietas erga Deum tum quoque in primis enituit, cum
 thori sociæ legendæ illis fuerunt. Exemplum, idque ædi-
 ficationis plenissimum, & matrimonii candidatis omnibus,
 eorumque parentibus, intuendum ac imitandum, historia
 Abrahami & Isaaci præbet: quorum ille cum ariensem su-
 am ad ducendam Isaaco vxorem in Mesopotamiam ablegaret,
 pia fiducia, *DOMINVS*, inquit ei, *Deus celorum,*
qui me duxit ex domo patris mei, & ex terra cognatorum me-
orum, quiue locutus est, & iurauit mihi, dicens, Semini tuo
dabo terram hanc, IS MITTET ANGELVM SVVM ANTE
TE, ut ducas vxorem filio meo inde, Gen. xxiv, 7. Nec mi-
nor hac in re serui pietas, qui, ut missione sua rite, & ex
heri sui voto defungeretur, precibus ante omnia ad Deum
conuersus, DOMINE, inquit, Deus heri mei Abrahami,
occurrere fac, quæso, (puta decentem coniugem, uti IONATHAN,
vnus ex paraphrastis Chaldæis, addidit), & fac beni-
gnitatem cum hero meo Abrahamo, cetera, v. 12, 13, 14, idem-
que, cum Rebeccam signis illis, quæ supplici prece a Deo
exorarat, conspicuam vidisset, obstupuit super ea, tacitum se-
gerens, ut cognosceret, prosperamne DOMINVS iam ipsius
esse iussisset, nec ne? v. 21. & denique, certus iam de volun-
tate Dei, inclinavit se vir, & adorauit DOMINVM, dicens:
Benedictus sit DOMINVS, Deus heri mei Abrahami, qui
not

non destitit benignitate ac veritate sua herum meum: quod ad me, via recta duxit me DOMINVS in domum cognatorum heri mei. Sed nec Charanenses, nutum diuinum hac in re agnoscentes, sua sunt laude priuandi. Respondentes enim seruo Abrahami, qui Rebeccam Isaaco vxorem ambauerat, dixerunt: A DOMINO exiit res ista, non possumus loqui ad te quidquam in contrarium, siue bonum, siue malum, cetera, v. 50. 51. Quam vocem seruus Abrahami diuinæ directioni acceptam ferens, simul atque audiisset hæc verba, prostravit se in terram, ad supplices in conspectu omnium gratias agendas DOMINO, v. 52. Tota ista historia in mentem nobis reuocat Salomonis ad hanc causam pertinentes sententias, Prou. XVIII, 22. QUI INVENIT VXOREM, (puta BONAM, vti LXX, Ar. Syr. & Vulg. per modum interpretamenti addiderunt) INVENIT BONVM, ET REPORTAVIT BENEPLACITVM A DOMINO. & C. XIX, 14. DOMVS ET OPES SVNT QVIDEM HAEREDITAS PATRVM; SED A DOMINO EST VXOR INTEL-
LIGENS.

Coniugia
Patriarcharum, vel cum
liberis feminis, vel cum
ancillis.

§. XXVII. Coniugia autem Patriarcharum duplicis fuerunt generis: primo cum liberis, ac adeo æqualis conditionis feminis, verbi gratia, Abrahami cum Sara, Isaaci cum Rebecca, & Iacobi cum Rahela & Lea; deinde vero cum seruabus, siue ancillis: illæ igitur iustæ erant vxores, ac dominæ, matresque familias; hæ vero tantum פילגשים pellices, id est, vxores quidem, eæque legitimæ, sed quæ non habebant omnem perfectionem vxoribus in coniugio debitam, quia remanebant in seruitute, ac domini in regenda familia consortes non erant. Huiusmodi pellices Abrahamo fuerunt, viuente quidem Sara, Hagara Aegyptiaca, post mortem vero Saræ, & (vt credibile est) ipsius quoque Hagaræ, Ketura, Genes. xvi, 3. c. xxv, 1. utpote quæ ambæ nomine פילגשים pellicam veniunt c. xxv, 6. Tales item Iacobo fuerunt Zilpa, Lea ancilla, & Bilba, Rahelæ

hela serua, c. xxxix, 24. 29. Et huiusmodi *pellices*, licet ductæ, & thori sociæ iam essent, tamen iccirco non definebant esse ancillæ, quibus hera non minus, quam herus, suscipienda esset, coll. Gen. xvi, 4. seqq. c. xxi, 10. seqq. c. xxxi, 33. c. xxxiii, 1. 2. Porro filii *pellicum* Abrahami tantummodo *מתנות* *Dona* acceperunt; at Isaacus, filius liberæ, *heres* fuit omnium *bonorum paternorum*, c. xxxi, 10. c. xxv, 5. 6. Id vero factum esse videtur ad postulationem & in gratiam Saræ, Deo specialiter adprobante ac iubente; cum forte discrimen illud filiorum respectu ad eundem hereditatis, moris alias apud Patriarchas non fuisset, & Abrahamus prius, quam de voluntate Dei edoctus esset, Ismaelis filii sui causâ postulationem Saræ duram iudicavisset c. xxi, 11. 12. Vnde Iacobi contra filii, & qui ab his descenderunt, postmodum in diuidenda Cananæa omnes, tum qui ex liberis, tum qui ex ancillis nati fuerant, iniuicem æquati sunt, Num. xxvi, 53. seqq. Hinc et *Leptitia* iniquitatem tum fratrum tum ciuium

T. c. xxx, 3. 4. 9.

§. XXVIII. Ad ceconomiam quidem Patriarcharum conducebant inprimis *iusse vxores*, ceu matres familias, eaque piæ, castæ, sedate, *עמעות*, & quæ sunt reliquæ bonarum coniugum notæ, Tit. II, 4. 5. Has igitur pientiores quique Patriarchæ ex suis ipsorum familiis legebant potius, quam vel ex Cainitis ante, vel ex Cananitis post diluuium, vtraque lasciuiosa & impuris moribus deformata gente. Nempe quo religiosior quisque fuit, eo maiori cura & sollicitudine vsus est, vt matrimonia tum a se ipso, tum a filiis suis sub hac inirentur cautela, quam Apostolus suo tempore fidelibus Corinthiis inculcauit 1 Cor. VII, 39. nempe *μόνον ἐν κυρίῳ*, **SOLVM IN DOMINO!** Hinc cum ante diluuium *filii Dei*, hoc est, Sethicæ, *filii hominum*, ex Cainitica stirpe oriundas, sola illarum forma ac pulchritudine illecti, promiscue ducere, & proin ex commercio cum carnalibus carnales & ipsi fieri cœpissent, id adeo displicuit Deo, vt, nisi intra terminum CXX annorum emendaturi se essent,

iniquitatem tum fratrum tum ciuium
Iussa vxores
non ex Cainitis & Cananitis, sed ex gentilibus Patriarcharum delectæ.
um suorum accusat lud.
1, 7. quod filii (scilicet) dixerunt
v. 2. אה תנחל בבית אבינו כי בן אשה אחרת אתה

H

vni-

vniuersos delere decreuerit Gen. VI, 1-7. Quod decre-
 tum suum cum DOMINVS executioni postmodum de-
 derit, hoc ipso declarauit, se coniugia piorum cum impiis
 saltem non minus detestari, quam Israelitarum cum Cananeis
 connubia, Deut. VII, 3. Indidem Abrahamus ab atriario suo
 seruo iuramentum exegit, vt ne Isaac filio suo vxorem ex
 Cananeis, sed potius ex patria regione & ex familia sua du-
 ceret Gen. XXIV, 2. seqq. Cumque *Esaus*, ab hac filiorum
 Dei regula discedens, Iuditham & Basematham, Hethiticis
 mulieres, duxisset, hæ ambæ nurus fuerunt מרת רוח
 לויצחק ולרבקה causa *mastitie spiritus* Isaac atque *Rebec-
 ca*, c. XXV, 34. 35. adeo, vt Rebecca marito suo Isaac di-
 ceret: *Tædet me vitæ meæ propter Hethibicas mulieres: si
 ducturus esset Iacobus vxorem de Hethibicis mulieribus, qua-
 les hæ sunt, ad quid mihi vitæ esset?* c. XXVII, 46. Quam ob
 rem Isaac Iacobum, post iteratam & confirmatam ei benedi-
 ctionem, in Mesopotamiam ad auitam familiam cum hoc
 mandato ablegauit: *Ne ducas vxorem de filiabus Cananeo-
 rum; surgens abi in Mesopotamiam campestram ad domum
 Bethuelis patris matris tuæ, & duc tibi inde vxorem de filia-
 bus Laban auunculi tui*, c. XXVII, 1. 2. Et Esau ipse, cum
 intellexisset, Iacobum fratrem ab Isaac cum faustorum om-
 nium adprecatione in Mesopotamiam hoc fine missum
 esse, vt coniugem ibi quæreret sibi; igitur animaduertens,
 Cananiticæ mulieres patri displicere, quasi errorem emen-
 daturus, & Isaac gratum facturus esset, ad Ismaelis fami-
 liam se conferens, filiam eius Mahalatham suis superindu-
 xit vxoribus, ibid. v. 6. 9. Ceterum *Esau*, ita dein
 etiam *Iudas*, Iacobi filius, postquam a fratribus digressus, in
 liberiorem se familiaritatem dedisset cum Chira Adulla-
 mensi, Cananita, non optimi moris homine Gen. XXXVIII,
 1. 20. non solum ipse filiam Cananæi Schuæ vxorem duxit
 v. 2. sed etiam primogenito suo *Erio*, & post hunc *Onano*,
Thamaram, pariter Cananiticam, coniugem dedit v. 6. 8.
 malis

malis certe auspiciis, & exitu tristissimo; vtpote, præter malum improbæ ac Deo inuisæ fobolis, quam DOMINVS præmatura morte occidit, eo prolapsus, vt cum hac ipsa nuru sua, habitu & gestu meretricem mentiente, incesta fornicatione concumberet v. 15. seqq. vt, quod Paulus 1 Cor. XV, 33. ex Menandro inculcat, *Φθισισσιν ἡδὴ χερσὶ δουλεύουσιν κακὰς*, *Corrumpunt bonos mores consortia praua*, id vel hoc ipso exemplo hominis, cetera non mali, comproba-

retur. *Pariter Simeon, secundus filiorum Iacobi, cuius non optimam* *erat ingenuum, propter uxorem, ex sua*
 § XXIX. Possimus hic in laudes Patriarchalium con- *Patriarchali- propter filios suscepit, ha-*
 iugum excurrere, nisi breuitatem nobis imperaret tracta- *um coniugum laudes.*
 tionis nostræ modulus. Loquatur vero pro nobis Apo- *bit aliam, eamq. Cananiti-*
 stolus, *sanctas has mulieres* pro dignitate & meritis illarum *cam, cuius filius erat Dau-*
 concelebrans, 1 Petr. III, 5, 6. *Sic enim (videlicet incorruptibili*
ornatu mansueti & quieti spiritus, v. 4.) aliquando & SAN-
CTAE MULIERES, sperantes in Deum, ornabant se, sub-
iecte propriis maritis. Sicut Sara obediebat Abrahamo, Do-
minum eum vocans: cuius filie facte estis, si benefeceritis, cet.
 Ac de vestitu quidem illarum dicemus postea. Quod ve- *lus, Gen. 46, 10.*
 ro ad subiectionem earum, illam ex honorifica adpellatione *lus, Gen. 46, 10.*
 Domini Apostolus modo eliciebat, coll. Gen. XVIII, 12. vbi *lus, Gen. 46, 10.*
 Sara de marito suo loquens, *Dominus meus*, inquit, *confe-*
nuit; haud aliter acsi *ancillam* potius, quam *coniugem*, do- *lus, Gen. 46, 10.*
 minique confortem se esse reputaret. Et potest id a con- *lus, Gen. 46, 10.*
 trario illustrari ex PLVTARCHO in *Lycurgo & Catone*, *lus, Gen. 46, 10.*
 vbi a Catone perstringuntur mariti, quibus non satis fit, v- *lus, Gen. 46, 10.*
 xorum socios fuisse, nisi etiam obsequentes se præbuerint, *lus, Gen. 46, 10.*
 vt tandem serui in penam fiant: id vero in Lacedæmonios *lus, Gen. 46, 10.*
 olim iactari consueuisse, vt qui *uxores DOMINOS* adpella- *lus, Gen. 46, 10.*
 verint. *Simeon* exemplum eadem Sara est, vtpote de qua cum *lus, Gen. 46, 10.*
 DOMINVS ipse, sub hominis coniugiæ forma adparens, *lus, Gen. 46, 10.*
 sciscitaretur, maritus haud cunctanter respondere poterat: *lus, Gen. 46, 10.*
Ecce! in tentorio suo est, Gen. XVIII, 9. *Quam sedulae fu-*
 erint piæ feminae in domesticis negotiis curandis, v. g. pin-

sendis panibus, coquendis carnibus, suppeditando potu, cetera; id historiae loquuntur eiusdem Saræ Gen. XVIII, 6. itemque Rebeccæ c. XXVII, 9. 14. seqq. Prudentiam economicam in regenda familia, satis prodidit Sara, quum Hagarum ancillam elatius se gerentem coercuit, Gen. XVI, 6. non sine adprobatione ipsius DOMINI, v. 9. Sicuti & vicissim Abrahamus fecit, quod boni mariti est, cohabitans *נאדו נאדו*, ac tribuens ei honorem, ceu infirmiori vasi Petr. III, 7. cuius rei specimen dedit, cum vxori, ob Hagaræ insolentiam quiritanti, *Ecce*, inquit, *ancilla tua in tua est potestate, fac ei prout videbitur tibi*, Gen. XVI, 6. & cum in gratiam eius Hagarum cum Ismaele filio ex ædibus suis dimisit c. XXI, 14.

Liberi a Patriarchis in coniugio quæsi, post natiuitatem suscepti, & per duos tresue annos lactari.

§. XXX. In coniugiis suis Patriarchæ, sicuti generatim mutuum adiutorium, Gen. II, 18. ita inprimis *Semen Dei*, hoc est, promissam a Deo, Deique timentem sobolem quæsiuerunt; id quod Propheta de Abrahamo restatur Mal. II, 15. & Abrahamus ipse haud obscure innuit Gen. XV, 2. *DOMINE*, inquit, *quid dabis mihi, cum ego vadam sine liberis?* & mox v. 3. *Ecce mihi non dedisti semen!* Et tamen temporariam sterilitatem vxorum suarum, quam piis precibus medicæ Dei manui commendauerunt, resignantes se in voluntatem eius, non nisi patienter tulerunt, Abrahamus c. XVII, 18. 19. Isaacus c. XXV, 21. & Iacobus c. XXX, 1. 2. Ac liberos quidem, simul ac nati essent, patres, aut aui quoque, & progenitores, in genua suscepisse videntur, hoc ipso ritu suos esse, ac sibi caros, indeque a se nutriendos ac educandos, professi. Vnde *Machirus* liberos genuisse dicitur *super genua Iosephi*, hoc est, quos Iosephus in gremium sublato, pro familie suæ membris agnouerit, Gen. L, 23. Eique analogus ritus est in historia Rahelæ, quæ marito suo, *Ecce*, inquit, *ancillam meam Bilham, ingredi ad eam, ut pariat super genua mea;* vtpote quæ posteriora verba *Onkelofus* in Chaldaica sua paraphrasi reddidit, *ut pariat, & ego educem,* Gen.

T. f. Job. 3, 12 מ'ב'ב' ק'מ'מ' מ'מ'

Gen. XXX. 3. Porro infantes lactari sunt, siue a matribus ipsis, dummodo possent, coll. c. XXI, 7. Quis dixisset Abrahamo: Lactat filios Sara? siue a nutricibus; ut Rebecca nutricem habuit Deborah. quæ & nupturæ comes a parentibus data, c. XXIV, 59. & ab Iacobo, Rebeccæ filio, tandem honorifica sepultura & lectu cohonestata est c. XXXV, 8. Lactationis autem tempus tam arctis limitibus, ut apud nos plerumque fit, constrictum non fuit; sed ut hodiernum apud Orientales, sic olim per biennium trienniumue duravit. Vnde Isaacus tum demum dicitur ablactatus, ל'ג'מ' cum adolescere cepisset Gen. XXI, 8. Idem de Mose legitur Exod. II, 10. quem tempore ablactationis suæ ת'ט'נ'ן י'ע'י'ע'ו' מ'ד'א', triennem fuisse, IOSEPHVS Antiq. l. II. c. 9. memoriæ prodidit. Vide & de Samuele I. Sam. I, 22. & quod mater septem fratrum ab Antiocho occisorum filio dicit 2. Macc. VII, 27. Miserere mei, quæ re per IX. menses in utero gessi, & PER TRIENNIVM LACTAVI: item quæ Missionarii Danici Contin. XXIV. des Ost-Indischen Berichts pag. 1042. narrant. Vnde sec. eodent. c. c. p. 1013. minom D. e. h. etiam ex lactentium ore laudem Christo, cum in templo

§. XXXI. Liberos hosce suos pii Patriarchæ procul dubio ad timorem & cultum veri Numinis domi suæ sollicitè instituerunt, cum publicæ scholæ nondum forte fuerint: qua de re nequiquam dubitare nos sinit illustris locus Gen. XVIII, 19. Agnoui eum, inquit de Abrahamo Deus, propterea ut precipiat filiis suis, & domui suæ post se, ut obseruent viam DOMINI, ad faciendam iustitiam & ius. Et quis credat, Patriarchas, ubi extructis altaribus, & immolatis victimis, & solemniam Deo sacra fecerunt, familiam suam neglexisse, & damnabili ignorantia reliquisse? Vide e. g. Gen. XXI, 33. c. XXXVI, 25. c. XXXIII, 20. & imprimis c. XXX, 2. seqq. Vnde haud dubie fallit PHIL O Iudæus lib. de Abrahamo p. 275. dum Patriarchas tantum secundum legem, seu lumen naturæ vixisse adseruit, scholas nullas frequentantes, nullisque præceptoribus vfos, sed a se ipsis institutos doctosque quem notauit CAMP. VITRINGA de Synagoga p. 277. Ad publi-

laudem Christo, cum in templo
idem, de
versare; paratum fuisse Mat.
scholis pu-
blicis, domi
felicite ad
cultum Nu-
minis inti-
tuci, & labo-
ribus adue-
facti.
Vide Io. Franc. Rudeum
M. A. Eccl. V. T. Tom. I.
p. 414. 499.

blicas scholas, quas tunc nondum forte fuisse diximus, tra-
xerunt quidam, quanquam inuita Minerua, locum illum
Gen. XXV, 27. *Iacobus erat vir integer, ישב אהלים habitans,*
vel *SEDENS in tentoriis.* Nam R. SALOMO subnotauit
ad eum locum, intelligi *tentorium Semi, & tentorium Eberi;*
quasi vero Semus atque Eberus eo tempore fuissent ludima-
gistris: & *Pseudo-Ionathan* ibidem sic habet, *ministrans in*
schola Eberi, quærens doctrinam a facie Domini. Vide ibi &
SAL. B. MELECH in *Micblal-Iopbi.* Sed quis non vi-
det, quam coactum sit illud interpretamentum? Laboribus
vero tolerandis Patriarcharum liberos non minus aduafa-
ctos esse, docent exempla, *Rebecca,* cum aliis oppidi sui pu-
ellis vesperi aquatum excuntis c. XXIV, II. 15. *Rabele,* ducen-
tis gregem c. XXIX, 9. & *Iacobi,* mercenarium agentis pa-
factorem v. 15. seqq.

Clausula tra-
stationis.

§. XXXII. Restaret nunc, vt, quemadmodum supra (§. I.)
promisimus, de *seruis* atque *seruabus*, item de *habitaculis*,
deque *vicu & amictu* Patriarcharum, pariter exponeremus:
verum ita tractatio nostra, quæ præter intentionem nostram
iam longius prouecta est, terminos academicæ dissertatio-
nis nimis excessura esset. Igitur heic pedem figentes, ea,
quæ supersunt, non tam prætermittimus iam, quam alii oc-
casioni & tempori reseruamus. Interim hanc nostram scri-
ptionem finientes, gratias benignissimo Numini pro præ-
stito nobis auxilio agimus, ac vota supplices fundimus, ve-
lit hoc, quidquid est meditationum nostrarum, aliquo apud
Lectores nostros beare fructu, vt vel sic mereamur partem
habere in felicitate illa, quam Dauid Ps. I, 3. *cupienti legem*
DOMINI, & in lege eius noctes diesque meditantii pollice-
tur: ERIT SICVT ARBOR PLANTATA AD RIVOS A-
QUARVM, QUAE FRUCTVM SVVM DAT TEMPORE
SVO, ET CUIVS FOLIVM NON MARCESCET; ET
QUICQVID AGIT, PROSPERE
PERFICIET.

FINIS.

Bla 278


ULB Halle

3

004 145 070







DISSERTATIO PHILOLOGICA
DE

ANTIQUITATIBVS
OECONOMIAE
PATRIARCHALIS,

QVAM
PRAESIDE
CHRIST. BENED. MICHAELIS,
PHIL. PROE. PVBL. ORD.

ANNO MDCCXXVIII. D. III. NOVEMBR.

PLACIDAE DISQUISITIONI SVBICIET
IOANN. DANIEL TAPKEN,
REGIOMONTE BORVSSVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
Litteris CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

*Antiquitates pertinent ad Philologiam,
vixque quae mox se Pfeiffero in Phil. S.
p. 1. non linguas solum dicit
et al. d. etiam alia adimi
vult ad xel. d. facientia
Sivecys The. dicit.
Hares dicitur, q. s. narejus dicitur
coll. 2XX. qui Hebr. מנח נון
passim reddiderunt vel dicitur
narejus, vel dicitur narejus
narejus dicitur.*

an M

